

EN TΩ ONOMATI TOY XPICTOY.
DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
RELIGIONIS FALSAE
MIXTÆQVE IN REP.
DAMNIS,

Quam,
P R Æ S I D E
VIRO

*Plurimum Reverendo, Amplissimo &
Excellentissimo*

DN. BALTASARE BEBELIO,
SS. Theol. D. & P. P. undique celeberrimo,
Wilhelmitarumque Ephoro meritissimo &c.
Patrono ac Præceptore summoperè
venerando,

Solemniter tueri conabitur

JOANNES BALTHASAR Ritter /
Mœno-Francofurtensis.

A. & R.

Ad d. 15. Octobr. h. lq. s.

∞(o)∞

§

ARGENTORATI,
Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOFFII,
Imprimebat JOHANNES Schütz.

Coll. diss. A
7, 7

Anno M. DC. LXVII.

7.

a. VII. 7.

Magnificis,
Omniq̄ meritorum laude Amplissimis

VIRIS,
Inclytæ S. R. Imp. Reipubl. Liberæ,
Francofurtensis ad Moenum,

DOMINIS:
PRÆTORI.
CONSULIBUS.
SCABINIS.
SYNDICIS.
SCHOLARCHIS.
SENATORIBUS.



Universis & Singulis:

Dnn. suis Gratiofis,
BENEFACTORIBUS MAXIMIS,

Hunc

Qualemcunq̄ gratissimi animi indicem publicè
extare vult, ut debet,

Simul

Se suaq̄ue studia humillimè commendat

Æternus debitor,

Joannes Balthasar Ritter /
S. S. Theol. Stud.



MAGNIFICI NOBILISSIMIq; DOMINI,
 PATRES PATRIÆ ET MOECENATES STUDIORUM
 PII, FELICES, GLORIOSI, OPTIMI!

AD neminem justius, quàm ad VOS, pro-
 perant qualescunque hæ chartæ, seu me cogitem, Ci-
 vem vestrum, quem, jam in suis retrò *Avis Franco-*
furto debitum, etiam singularia merita, nec privato
 exolvenda, ad omne possibilis genus obsequii obli-
 gant; seu ipsam scriptionis materiam spectem, quâ pe-
 culiari jure laudem meremini, servatæ, quâ mortalibus licet, feliciter
 & cum fide Religionis. Non ego, DOMINI BENIGNISSIMI,
 juvenis plurimarum adhuc rerum; sublimium verò negotiorum
 maximè rudis, hoc superbiæ sumsi, ut VOBIS meo non rogati ju-
 dicio standum esse putem. Loquor nimirum, quod in omnium
 hodiè ore est, nec verò insidiantium, vel eorum, quorum sibi ap-
 plausum subinde Pericles timuit, vulgarium, inquam, mentium,
 nec in adyta rerum penetrantium. Sanctiorum, quorum qua-
 lemcunque notitiam, vel in scriptis hætenus impetravi, suffragia
 partim ab ipsis, eorum partim operibus, sed & per alios didici: &
 quia hoc unum satis conatum excusat, Excell. *Bebelii* nostri, Viri,
 quâ Pietas calet, ferventissimi, suasu, argumentum isthoc suscepi,
 eò libentiùs quidem, quò præsens Ecclesiæ, etiam nostræ, sollici-
 tatae status de eorum quoque mente, qui se non una de causa illi di-
 carunt, certior esse debet, ut dum domi, in Curia Templisque, pro
 Virginitate Religionis vigilatur, peregrinantium quoque matu-
 rè studiorum flores, quid frugis olim promittant, prospici queat.
 De cætero sanè religio mihi est, intempestivo disuasum attentare
 Vestram sapientiam, quæ tanta est, quantam omnes vident, præ-
 terquam quibus Francofurtum (liceat hic domestico mihi cum
 Prudentiorum numero Patriam laudare, id est, justo Civis officio
 A 2 defun-

defungi) non sine turpi infantia sua confessione ignotum est. Quod decus Vestrum si pro dignitate commendandum foret, neque brevis dedicatio ferebat, neque verò poterat ab imbecilli laudatore omninò peragi. VOS ipsi sat amplum theatrum Virtutis Vestrae estis, nec aliò cordatis Viris, quàm ad meritorum suorum conscientiam, respiciendum est. Estis ergò, ut in viam redeam, ii, qui rectiùs & opere de his talibus sentiunt, quàm ab homine inferioris subsellii cogitari scribive queat. Sed & eritis, quod Benignitas publica pollicetur, æ qui speciminis hujus Judices, & accipietis hanc quam reddere Vobis multis nominibus debeo, suscepti foris studii mei, impensive in eo temporis, aliquam rationem, quæ simul gratissimæ mentis testiserit, & pro ulteriore Gratia Vestra supplex. Affulgebitis, obsecro, Benevolentia Vestra, tam efficacis, Sole illorum nepoti, quos & Ipsi Vestrique gloriosi Antecessores, per non brevem annorum seriem, mansurâ apud nos memoriâ fovistis. Sic & mea aliquando studia ad proficua Charissimæ Patriæ ministeria vehementissimè impelletis, rectissimeque aptabitis, efficietis denique, ut quod hæcenus tantùm annitor, cum successu de hinc Cultores Vestros quoscunque, saltem in fide officioque, æmulari, nihil vituperando consilio possim. Valete, DOMINI MUNIFICENTISSIMI, & Remp. diu bene feliciterque gerite, in æternam Vobis gloriam, nomenque, ad seros duraturum posteros, quæ utraque cum Vestro uniuscujusque ad Remp. accessu, suo quisque merito, jam estis exorsis. Valete, inquam,

Magnifici Ordinis Vestri

Cliente & servo humillimo

Jo. Balch. Ritter.

BALTHASAR BEBELIUS

SS. Theol. D. & P.P.

Salutem Lecturis.

Celeberrimum est, nec immeritò apud Veteres Phari nomen, sive necessitatem inventi, sive utilitatem usurpati respiciamus. Istam: Nam sine ejus luce non poterant navigantes feliciter insidias maris evitare, & portum ingredi Alexandrinum; Hanc, quia lucerna ista ostendente, & mediam inter extrema viam tenebant, & in tuto navium statione appellebant. Mons erat in medio mari situs, nebulas penè contingens; hujus sub radicibus aqua conspiciebatur, ita ut suspensæ mari imminere viderentur; In turri, summo in monte ædificata, ignis elucet, qui quasi gubernator alius navigantes noctu dirigat. Ita Pharium descripsit Achilles Statius lib. 5. de Clitoph. & Leucippe.

Instar hoc est scriptura sacra: Navigamus & nos in mundo, velut in mari, fallacibus vadis, & cœcis anfractibus insidioso: Nox est errorum & peccatorum, quæ visum navigantibus vel aufert, vel debilitat; opus igitur luce, quæ cœcutientes illuminet & errantes doceat, quæ navigandum. Hic verò nullam tu mihi turrem expectes Alexandrinam. Scriptura est lucerna pedibus nostris; ad hanc levemus oculos, velut in monte positam excelso, si quid Christiani vel cogitamus, vel conamur.

Equidem in negotio potissimum fidei usum suum ista lucerna commodat, sed nec in aliis denegat, insignem. Vivimus adhuc in mundo, & in vita alii quidem Politica, alii Ecclesiastica, alii Oeconomica degimus, omnium tamen votum est, ut feliciter degamus. Quare opera precium est, circumspicere præsidia illius felicitatis habenda, & ita quidem habenda, ut cum bona conscientia consistat. Hic verò scissa sunt sententiarum divortia, aliis alia consulentibus. Sunt, qui in sola sua terra figuntur, in ea solum intenti, quæ ratio suadet, præsentium solum contemplatrix: Alii contra sublimius evecti cogitant Dei consilium, in S. literis revelatum: Nec immeritò, Deus enim est omnium nostrum Dominus, decet igitur servos ad ipsum unice respicere, nec audere, nisi quod ille jusserit. Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitratu, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt: judicium est præstantissimi Philosophi, Jurisconsulti & Theologi Tertull. lib. advers. hæres. præser. c. 6. Præsertim cum nihil ille jubeat, nisi quod servis prodesse novit sive jam, dum in mundo vivunt, sive olim, cum cœlum tenebunt. Grandis profectò eorum error est, qui censent, sacras literas tum demum in consilium adhibendas esse, cum de mysteriis fidei negotium est; minimè tum, cum de Republica & domo benè disponenda. Unde enim omnis, sive in Rep. sive in domo,

felicitas, nisi ex eo, quem non nisi ex verbo suo cognoscimus? Unde ista in nos descendit felicitas, nisi cum ita nos gerimus, ut ipse nos geri vult, & promisit in rebus agendis successum? Danda quidem est opera, ut prudenter inter homines versemur, sed istius prudentiae Canon & regula esto verbum Dei. Nullus est enim in humanis rebus casus conscientiae tam insolitus, de quo ex S. literis consilium non petere vel debeamus, vel possimus, dummodo mentem divinam rectè applicemus.

Specimen exhibuit Praecellens atq; Praestantissimus Dn. Joannes Balthasar Ritterus, Mæno-Francofurtensis. Postquam enim sua hactenus studia eò usque, Deo benedicente, & propria industriâ allaborante, produxisset, ut in publicam quoque palestram descendere auderet, id unice cura habuit, ut literis humanioribus sacras sese addidisse comprobaret. Insigne ornamentum est studioso etiam Theologia, latinè loqui, & historiam etiam politicamque profanam salutasse, imò imbibisse; sed & Græcè scire, & Hebraeos fontes degustasse; Id verò industriâ non pœnitendâ, nec mediocri felicitate praestitit egregius juvenis. Perlege specimen hoc vivum, quod suo ipsemet Marte elaboravit, & dabis, quod diximus, Ritterum nostrum esse Encyclopadia alumnum vel in primis numerandum. Caterùm frustra sunt, qui in isto humana sapientiae vestibulo consistunt, nec in sanctum, imò sanctorum pergunt adyta. Quare & Ritterus noster gradum & pedem promovit ad intimiora sapientiae divinae penetralia, dum scripturam sibi sacram, & derivata inde dogmata familiaria reddidit. Familiarem sibi scripturam faciunt illi cum primis, qui lectioni addunt praxin, & sanctissima Dei praecepta variis vitae casibus applicant extricandis. Utrumq; praestitisse nostrum disputantem, argumento sunt Conciones sacrae, quas eruditè, piè & facundè, cum ad Commilitones in collegiis privatis, tum ad populum è suggestu publico peroravit. Norunt idem examina Theologica, quae singulis trimestribus apud nos habentur, Nam & hac, peregrinus licet, ipse frequentavit, & respondendo favorem in sese & examinantis & audientium gloriosè derivavit. Reliquum docet praesens disputatio, quippe in qua ostendit, ex perpetuo scripturarum consensu, inter extremas rerumpubl. pestes esse falsa religionis sive receptionem, sive patrocinium. Gratulamur inclytæ Francofurto, quòd hactenus inestimabilem Evangelii thesaurum incorruptè servavit, & ut servetur porro, suos cives studiis admoveat sacris, promissis alliciat, premiis confirmet, & promotionibus sibi devinciat. Nulli dubitamus, quin idem facturi sint Mæcenates in hoc quoque suo Cive, juvene sine hypocrisi pio, sine remissione industrio, sine fastu erudito. i. e. Patriæ suæ ornamento. Deum autem precamur calidissimis animi suspiriis, ut per Spiritum suum sanctum, his praesertim afflictissimis temporibus, corroboret animos suorum, eorum cum primis, qui ad clavum sedent Rerump. ut verbi suaeque Ecclesiae rationem ducant potiore, quàm Status. Ista enim Deo nostrarumque animarum saluti velificantur, hic verò umbra est inanis, quae cum corpore suo, mundo, in nihilum aliquando redigetur.

Prælo-

Præloquium.

HOdiene moribus, quàm olim, corruptioribus vivatur? satis multorum ingenia exercuit quæstio. Cæterùm pluribus provectior simul & exploratior ætas multa subinde detexit, quæ cum juvenes ipsi aut pueri per ætatem haud observassent, observata postmodum, veluti nova, in argumentum deterioris facti mundi senes adducunt. Sunt, quibus semper eandem rerum faciem mansisse, *vitiisque malignitatis humane, vetera semper in laude; præsentia in fastidio esse; omninò persuasum est.* Non prorsus item prudentioribus: nam etsi *fortè rebus cunctis insit quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices; ita morum vertantur,* tamen si mortalium vitas penitiùs excutiamus, nunquam deprehendemus, illud omnium mare scelerum, *ATHEIS MVM,* longiùs latiusque humanum genus inundasse: nunquam istud virus, etiam in Christianis, præsertim Italicis terris (unde peregrinatores earum Ulyssæâ quadam prudentiâ opus habent) avidioribus faucibus haustum, quàm hodie fieri palam est. Vel solo igitur Atheismo satis coacti, non possumus non in eorum sententiam concedere, qui, nostram ætatem priorum omnium antegredi malitiam, statuunt, quanquam & in cæteris omnem ferè pravitatis mensuram impleat, quod eleganter ostendit *Edo Nihusius in Frontispicio Fatid. sacr.* Iste atheismus est, quò fonte fomiteque, omnis religio, cum palàm ejurari tutò nequeat, lusui ludibrioque privatim ducitur, ipso Chamæleonte facta mutabilior, Expedi, heterodoxæ Ecclesiæ accedere? En promptum paratumque; animum! & quidni talem? cum illic rem, *res ubique amicos inveniat.* Regnandi causâ, *tuus Pontifex meus Pontifex: tuus Lutherus meus Lutherus esto.* Ambis favorem Principis, aut habes adversum? etiam exutâ saniori religione vel propitiare illum, vel irâm exarmare studebis. Afflaris acriori calamitatis aurâ? *Cole felices, miseros fuge:* inclinandum, quò fortunæ favor. At vide, ne à pluribus pendulo corpus etiam (imò suâ ollm ratione anima) cum *Mettio Fuffetio* danda sit passim distrahenda. Multis religio conservando tantum Civili statui instrumentum inventumque est, ut olim Jeroboam, Ahas, Romanis. Ergò & ipsa rei commodaque præsertim publico; nihil illi vel accommodandum vel subjiciendum: Ergò & ex abominando ejus contemptu, mixturaque detestabili, bonus lucri odor. Sæpissimè tamen non modò spe votisque suis excidunt hiantes illi corvi, sed & in contraria currunt, ut adeò perversa ista *Ratio Status,* cujus suasu nihil non licere sibi autumant: cujus amore penè insaniunt, turpis fiat *Rasio Status,* commodaque & incrementa somnians, decremента ubique ac damna persentiscat. Quæ dementia, etsi dudum sit, quòd homines privatos juxta ac imperantes ceperit, tamen nunc temporis capit maximè. Quapropter, cum primi semper & ingentis consilii fuerit, sua exactè tempora investigare, ut sive sit ad Reip. clavos sedendum, prudenter moderari, sive è suggestu dicendum, efficaciter dehortari, sive in cathedra docendum, bonarum semina virtutum maturè jacere sciamus, inde quoque non detrectavi, suadente *Plurimum Reverendo atque Excellentissimo Dn. D. Praside, Patrono ac Præceptore multis atatem nominibus suspiciendo. de Damnis in Remp. ex falsa mixtaque religione redundantibus,* hoc quicquid est, in chartas conjicere, Patriæque Parentibusque ex scripto etiam exacti nunc quadrienni Academici quandam reddere, si dignum est eo nomine, rationem.

*Tu rectam mihi pande viam cursusque secundos,
Iova, doce, verbique Tui moderamine gressum
Dirige, ne dubiis ponam vestigia plantis!*

Psal. 25, 4.

§. I.

Explicandi termini. *Orat. 2, 82.* *1. Subj-ctum.* *Boxh. Inst. Pol. 1, 2, 1.* *Ad Marc. de Legg. 18. lib. 1. c. 1.* *Et c. C.* *Arist. Pol. 1. 1. & 2.* *Grot. de l. B. & P. in Prol.* *Tac. A. 4, 33, 1.* *Inst. Pol. 2. 1. 5. & 6.* *c. 28. & 29.* *Liv. 1. 9.* *2. adjun-ctum.*

Sicut ad Consilium, de Rep. dandum, caput est, nosse Remp. dicente Tullio; ita Reip. ex falsa mixta vè Religione damna ostensuri, promovere pedem feliciter non possumus, nisi quid Reip. nomine exaudiendum sit, antea constituerimus. Non dubitamus verò, quin, bonâ Politicorum Pace, isthæc ab ipsis subsidia mutuari, nobis futurum sit integrum. Remp. ergò vocamus multorum corporum imperium, ad agnosendam ejusdem imperii majestatem, iisdem legibus omnium & singulorum, utilitatis causâ imbutum: quam si malis cum Aristotele Civitatem appellare, per nos utique licebit, modò etiam cum Philosopho non rude aliquod corpus Civitatis, nullo animatum spiritu: modò non jus Civitatis: modò non cum Seneca atque Cicerone, utrisque rhetoricantibus, & argumento servientibus, mundum universum, quod tamen minus verendum, intellexeris. vid. Lips. Physiol. Stoic. l. 2. diff. 7. & MSC. Inst. Pol. Patroni & Præceptoris, maximè suspiciendi, incomparabilis Bœcleri. Reip. autem origo, quemadmodum omninò ab hominis natura, propensa ad convenientem rationi societatem, deducenda est; ita forma pro sitûs, inclinationis, ingeniorum hominum, diversi etiam temporis ratione alia atque alia habetur. Fuerit porrò sive Monarchica sive Dyarchica sive Polyarchica, eademque vel Aristocratica vel Democratica, hoc est, nationes & urbes aut populus, aut primores, aut singuli regant: fuerit seu pura, seu mixta, seu potioris orbis parte, seu unius oppiduli angustiis definita: fuerit eadem cum administratione, sive ab ipsa diversa, hîc loci non antè attendimus, quàm vagari extra oleas licebit. Id enim ostendere solùm alloboramus, remp. sub qualicunque forma administratam, ex corrupta religione eadem fata habuisse; cujus quidem rei exemplum non possumus dare illustrius Rep. Israeliticâ, ibi namque Monarchicus fuit status sub Regibus, Aristocraticus sub Senioribus, & tribuum Principibus, deficiente adhuc Rege: Democraticus, quando ex suffragio totius populi de summa rerum statuebatur, vid. Jud. c. 20. & 21. & veluti Moses Regiam, Chiliarchi Aristocraticam, Cives Democraticam potestatem habuerint, apud Bertram c. 6. cui adde vocat, Theocratiam, licet ductores primò suos, deinde iudices, tandem Reges habuerint, Monarchiam tamen aut Aristocratiam appellari posse, inde negat, quòd in omnes illos & Rectores & Iudices & Reges peculiare & excellens fuerit imperium Dei, qui Hebræis singulari quodam modo semper assederit, & inusitata aliis gentibus ratione tenuerit Remp. eorum. Verùm concedamus, fuisse in sanctæ Repub. gentis peculiare quidpiam: quin tamen forma formam aliam & à priori diversam subinde exceperit: quin saltem maxima cognatio fuerit hujus & aliarum Rerumpubl. formarum, id quod sufficere nobis hîc possit, omnem extra dubitationis aleam positum esse, arbitramur. Jam Resp. ex quibus consistat, in Rep. degentem vix potest latere. E Viris nimirum ac Viribus: sunt, inquam, Viri, à quibus per se patet, mulieres non secludi, quippe quarum opera non solum in curis domesticis, liberorum præsertim educationibus (vid. Dial. Quintil.) sed juvanda quoque Rep. sine iis non nisi hominis ætatem duratura, satis illustris est: sunt Vires, subsidiis quâ internis quâ externis validæ, suntque horum media, ut adeo Resp. affligatur, seu Cives detrimentum capiant ipsi, seu nervi isti Rerump. Atque hoc adjunctum est, de quo nunc dispiciemus, postquam de subjecto, Rep. vidimus.

§. 2. Illud igitur damnatum, sicut modò Viris, modò Viribus, modò domi, modò foris infertur; ita non unius generis esse deprehenditur: maximè expendi meretur, uti vel per se, vel per accidens & ex transverso quasi in Remp. impetum facit. Ac hoc quidem nobis est, quando nec ex rei natura fluit neque debetur, verùm aliunde accidit, de quo respectu hîc silentium; illud verò, cum aut fluit ex ipsa rei natura, aut debetur, etsi non desint accidentia, quæ remorentur suspendantque influxum, de quo præcisè sermo erit.

Porro

Porrò damnum vel *presens* est, & cuius apertum, vel *imminens* ac solis sapientibus detectum: jam sicut commodi; ita damni quoque, quantumque longo post tempore venturi, ratio habenda est. Neque enim (ut sub exemplis agamus) ridendus agricola, alteri dum seculo arbores plantans: Bremenenses autem imprudentiæ arguas, si citra necessitatem elapso hoc seculo tam præclara jura Suecis cedenda pepigissent. Utrumque, imò omne damnum vel *Theologicum* est vel *Politicum*. Illud animæ nocet bonisque spiritualibus; hoc corpori & corporalibus bonis, cuiusmodi sunt sanitas, pax, tranquillitas &c. quâ divisione quin duo hæc arctissime quandoque necitantur, alterumque alterum trahat, minimè inficias imus, refragaremur enim experientiæ, quæ ipsa in causa est, ut vel inde sapienti Consilio non nullæ Resp. levandæ civium suorum e. g. mercatorum ad incitas redactorum inopiæ, instructum ærarium habere satagant. Sed hæc velut *ἐν παροῶν*. Nos occupati erimus magis circa corporis quàm animi damnum.

§. 3. Quò circa indagandum nunc est illius *Principium*. *Religionem* neglectam se 3. *Principium* Remp. trahere, constans Politicorum vox est. Certè Ethnici olim Romani expugnatae *pium* urbis, quam æternùm salvam oracula cecinerant, Christianæ religioni imputabant culpam, quemadmodum pestis aliorumque malorum Demetrianus; sed immanes hæc calumnias illorum quidem æterno opere de C. D. Augustissimus Patrum *Augustinus*, hujus verò *Cyprianus* martyr masculè retulerunt. *Regni Iudaici animam atque spiritum religiones fuisse atque ceremonias*, tradit doctissimus *Cunæus de Rep. Hebr.* Quod & ipsum olfecit *Jeroboam*, invadens *lib. 1. c. 8.* regnum Iudaicum, *itaque quò firmitus cæptis insisteret, patria instituta multa immutavit, & diversum Numinis cultum atque alia sacra commentus est. Id. Cun.* Stat igitur sententia nostra, *lib. 1. c. 15.* Reip. damnum patientis, religionem seu falsam seu mixtam ut plurimum esse principium. Dico mixtam, interdum namque ex veris falsisq; dogmatibus & cultibus conflatur in unum quasi chaos religio, sicut in Romuli asylo Civitas: ipsi quoque homines diversæ religionis, quoad status diversos, ita ut hæc mixtio affligat non modò statum *Oeconomicum*, dum matrimonia diversæ addicti religioni contrahunt, & quæ major pestis est, *Ecclesiasticum*, cum schismatici corruptique doctores, vel corruptè docti in societatem Ecclesiasticam sacrorum vè communionem adsciscuntur, vel certè impunè & sine contradictione tolerantur; Verùm *Politicum* quoque, ubi hetherodoxi orthodoxis sive Magistratibus sive Civibus adscribuntur. Quod quidè vel miscantium sponte fit, vel coactè, vel mixtum, hoc est, urgente aliquâ necessariâ utilitate, ut est incrementum civium, opum, potentiae majoris, aut diminutæ etiam recuperandæ &c. Cæterum coactio vel *Physica* est, vel *Moralis*: *Physica*, cum hostes sese per vim intrudunt, ut in Silesia olim, ubi sacrificuli armatâ manu stipati miseris incolas variis fraudibus, somno etiam privatos, mox in maniam lapsos, pontificiæ religioni sacramenti usu subscribere contra omnia jura coegerunt. *vid. loc. Com. Siles. Gravam.* *Moralis* cum ex publicè pacto heterodoxos recipere *p. 57.* aut tolerare tenemur nolentes volentes, veluti Augustana Resp. aliæque complures. Non autem quæstio hic nobis est de religione falsa mixtave vel per vim obtrusa, quò nihil hodiè frequentius, vel vi pactorum, aliter haud possibile, quanquam ægris animis admittitur; sed de sponte vel certè sub spe utilitatis Politicæ recepta.

§. 4. Hinc emergit status Controversiæ talis: *An religio sive falsa sive mixta, eadem- Hinc Status* que suscepta spontè etiam in Politicis bonis per sese damnosa sit Reip. *suscipienti?* Hanc quæstionem *tus Contro-* Gentilis vix affirmaverit, libertatem quomodocunque quæsitam aut retentam, & quicquid ve- *versa.* lificari huic putabit, ducturus omni lege superiora, omnibus bonis utiliora *vid. Corn. Nep. & 1, 3, 6.* in eum *Gebh. & Bæcl.* sed utinam solus Gentilis! Infames illæ ab Hetruria artes immane quantum Christianos etiam occæcent. Nobis hic sacra pagina utramque paginam facit: habe- *decidendum* mus *Dei verbum* principium ac normam, unde de Rerump. quarumvis damno pariter atque *è Verbo Dei.* commodo judicandum statuimus *vid. Psal. 119. Gal. 6, 16. Deut. 4.* illud Cynosura & pyxis nautica, è qua Navarchi Rerump. nocivos ventos atque imminentes tempestates certò præfagire & possunt & debent. Pseudopoliticus illiè ad suam rationem status curreret, observandam, veluti statuam Mercurialem & Lydium lapidem; At verò nos legem divinam, tanquam certissimum canonem & infallibilem factorum in Imperiis vatem secuturi, æternum mittimus repudium plus quàm Lernæo illi monstro, cuius fundamentum execrabilem atheismum,

ipsum autem sanctissimo Decalogo è diametro contrarium esse, præclare ostendit illustris
l. 2. ax. 37. Reinkingkii in seiner Biblischen Policey. simulque veram rationem status indigitat, verbum
38. videlicet divinum, quod Deus imperantibus & legendum, & ex lectione sequendum proposuit:
 Hæc enim expressa & seria ipsius vox est *Deut. 17, 18, 19.* Postquam sederit (Rex) in solio regni
 sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus
 Levitica tribus & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vite sue, ut discat Dominum
 Deum suum timere &c. Hæc ratio status est, in quam Josua successor à Mose institutus, quæque
 ab ipso Deo etiam atque etiam observari iussa est, referente ipso *Josua cap. 1, 7.* Confortare & esto
 robustus valde, ut custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moses, servus meus, ne
 declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram &c. tunc prosperam facies viam tuam & prudenter
 ages; quibus annon responderit felicissimus eventus, non nisi admodum peregrinus in sacris
 Bibliis hospes ambiget. Idem Josua jam supremum vale dicturus, repetitis per quandam *αὐτοκράτωρ*
κεφαλαίωσιν ingentibus Dei in populum suum beneficiis, nihil solertiùs commendat hac reip.
 basi, quâ obtestatur, quàm diu imperium eorum nisurum sit, fore ut omnia ex voto fluant. vid.
Jos. c. ult. Jam quid de Davide dicam & paterna Salomonis filii institutione? huic omnia prospere
 eventura contendit, si mandata ea, quæ Deus ministerio Mosis Israelitis injunxit, probe cu-
 stodierit. Idem inculcat integro ferè *Psal. 119.* maximè *v. 89. & 104.* Salomonis verba clara sunt
Prov. 3, 2. ubi vetat divinæ legis præceptorumque oblivionem, quia illa *longitudinem dierum &*
annos vite & pacem sint appositura. Addimus è multis incomparabile pii Magistratus exem-
 plar, *Josiam.* Ille reperto legis volumine, jam vetustate obruto, præcepta divina clariùs ac ante
 edoctus, quàm timuit provocatam Numinis iram? quàm verebatur regni sui ruinam? quam so-
 licitus erat de emendatione illius & directione secundum hanc normam? at quàm inde fortu-
 natus votique compos? non possumus sine magna animi commentatione illam historiam per-
l. 2. ax. 30. lustrare, consignatam *2. Reg. 22. & 23.* Est ergo Consectarium; debere verbum Dei unicam sta-
39. tus rationem esse vid. *Reink. Bibl. Pol.*

qui autor §. 5. Et sanè in eo agnoscimus Cœlestis bonitatis divitias, quæ & imperandi media
magistra- viasque aperit post concessa ipsa imperia: Neque enim vel cum Epicuræis facimus, qui hæc
tus. fortuito & sine providentia divina accidere hallucinantur, vel cum Anabaptistis, quibus omnis
 Imperantium ordo statusque exosus est, sed Deum omnium autorem magistratuum credimus,
 asseveratione Apostoli *Rom. 13, 1.* *Omnis potestas à Deo est:* cujus nempè ex voluntate & san-
 ctione Reges tenere sceptrum, & assidere ad rerum gubernacula jubentur. Si petimus exem-
 pla, innumera suppeditat sacra & Civilis historia. Facundissimè, ut solet, exequitur Ni-
lib. 1. c. 7. hus. *Fatid. sacr.* addè *Lips. Mon.* fusius etiam, & cum veritatis vindicatione, totum negotium
lib. 1. c. 5. Magnus Gerhardus *Loc. de Mag. Pol. cap. imprimis 3.* Jam sicuti Deus Magistratus instituti
 autor; ita & ipse est, qui eundem regit præceptis, coërcet minis, punit suppliciis, exercet fatis
Dan. 4, 22. aliis. Ille excelsus dominatur in regno hominum, ad eò, ut cui velit demat; cui velit tra-
Job. 34, 24 dat. Ille conterit validos, aliosque substituit in eorum locum. Ille mutat tempora & tempe-
Dan. 4, 21. rates, transfert Reges & constituit Reges. Insolefcit Nebucadnezar? deturbatur solio. Dio-
 nyfius? à scepro ad ferulam dejicitur. Sed hæc consideratio hinc alienior est, eò tamen nos
 ducit, ut Magistratum non ita legi jurivè divino, atque humano, eximamus, ipsumque non ali-
 ter ac supremi omnium Patris-familias dispensatorem intueamur, qui concredita sibi bona
 non tam in privatum sui quàm publicum Reipubl. commodum vertere debet, cujus rei usus
 inferius se prodet.

1. vetuit §. 6. Pergimus nunc ad primam mixtionis speciem, quâ Connubia cum heterodoxis
(1.) Con- conjungi, supra diximus. Eam verò non modò dissuadent sacræ litteræ; sed vetant quoque,
nubia cum imò damnant. Clara sunt verba *Exod. 34, 16.* *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis.*
heterod. Idem inculcatur *Deut. 7, 3. 4.* addè *Lac Catech. Conc. 11. p. 302. & seqq.* Maximè Reverendi Do-
 mini D. Dannhaueri, Præceptoris & Fautoris desideratissimi. *Jos. 23, 13. 1. Reg. 11, 11.* quò etiam
 Doctores referunt Apostolica dicta *1. Cor. 7, 39. 2. Cor. 6, 14. 2. Joh. 10.* in quibus nuptiæ
 tantum in Domino non modò præcipiuntur sed & *εὐεγοζυγία* cum infidelibus, & hospi-
 tationes ac salutationes (*judæica*) illis impertiendæ interdiciuntur. Quod quidem ad devitan-
 da ejusmodi matrimonia sufficere deberet. Sed nec consulta esse, etiamsi vetita non essent,
 inde

inde apparet, quod & à scopo conjugii, educatione prolis ad Dominum (Ephes. 6.) aberratur, & seductionis timor justissimus, & pietatis tepor, & virtutum frigus, & rixarum litiumque seges, & magis hostilis ubique suspicio quam conjugalis ullibi amor, spes verò conversionis prorsus decipula sit. Unde sancti Ecclesiarum Patres acerrimè hinc stilum strinxerunt: *Cyprianus*, inde membra Christi prostitui: *Tertullianus*, eadem cum membris adultera commisceri, *In Laps. Hieronymus*, templa Christi idolis prostitui, dicit. Quorum zelum uti facile probes; ira meritò Pontificiorum quosdam, Canonistas præsertim, reprehendens, dum adeò pressè huic sententiæ inhærent, ut irrita esse allogamorum conjugia, & rescindi posse scribant. At sine jure divino, sine naturali aut positivo, sine certa aliqua lege Ecclesiæ: contra dictum Christi *Matth. vin. 1. 5, 32.* ubi sola fornicatio divortii causa ponitur: contra dictum Apostoli *1 Cor. 7, 12.* qui conjugii fideli, si habitare cum altero infideli consentiat, non renuit. Ex adverso & inter Pontificios sunt, qui nimis indulgent. *Vid. Man. Besan.* & inter Politicos, quibus hanc normam sequi, prægrave est. Dolendam quis non injuria Principum conditionem dixerit, de quibus *Reink. Bibl. Pol.* Auß eben selbigen Ursachen (Königreich und Bränken zu erweitern) werden unter den Grossen und Gewaltigen aneinander verheurathet / die nicht einerley Religion seynd / welches doch Gott im Alten Testament verbotten gehabt / wor durch oft ein ruhig Königreich und Fürstenthumb in Krieg und Unruhe gesetzt / und doch wohl nichts weniger / als der vorgesezte verhoffte scopus erreicht wird. Equidem Principibus ob salutem Reip. multa licere præ plebeis v.g. Conjugium cum Consobrina (*vid. D. Menzer tract. de Conjug.*) non refragamur; verum ideò se suosque subditos à peccatis & falsæ religionis periculo exponere, quis non insignem in Deum diffidentiam interpretetur, cui paucis aquè ac multis salvare suos facile est *1 Sam. 14, 6.* ? Obtinet igitur accurata Hodosophiæ nostræ definitio, quæ partes etiam religione in Conjugio exigit, subjicitque: *Matrimonium ut absolute liberum; ita absolute ab eo, qui religione à nob. discrepat, prohibitum est.* Putaverit quispiam, ideò Deum noluisse connubia jungi cum heterodoxis v.g. Cananæis, quòd & ipsi exitio destinati, & Judæi ante Messiam exhibitum cum Gentibus non confundendi fuerint: nunc Messia exhibitò, cessare rationem, cessare etiam legem. At verò ratio interdicto generalis addita est, periculum videlicet seductionis & apostasiæ, quod morale perpetuum est, Christianosque in N. T. omninò etiam concernit: *Non accipies*, inquit Dominus *uxorem de filiabus earum filii tuis, quare? NE postquam ipsa fornicata fuerint post Deos suos, fornicari faciant & filios tuos post Deos suos Exod. 34, 16. 17.* Idem exprimitur *Ios. 23, 13. at. 1. Reg. 11, 2.* adjicitur certitudo rei **IN**, certissimè, *declinare facient cor vestrum post deos suos.* Excipere si quis velit, interdicto etiam de prohibitis carnibus additam esse generalem rationem, impuritatem scilicet, non tamen illicò Novi Testamenti alumnos obligantem, huic, illud de impuritate tantum Levitica exaudiendum, respondemus, etsi non defuerint causæ etiam Physicæ, cur Deus v.g. à suillæ esu arcuerit Judæos, nimis scilicet lepræ obnoxios & calidioris temperamenti homines.

§. 7. Sequitur altera mixtionis species, sacra & pietatem lædens, idque vel in sensu vel in (2) Cultum cultu, Deo utrumque detestante, damnante, quod clarissima scripturæ dicta evincunt, heterod. tum in typis *Lev. 19, 19. Deut. 12, 9.* tum expresso sermone *Exod. 23, ult.* ubi Judæi pellere jubentur è terris suis Gentiles, ne peccaminoso eorum cultui & ipsi accedant, ruinamque sibi accersant. Sic & *Deut. 4, 16.* sculptilia & imagines quæcunque prohibentur *Deut. 11, 16.* ostensis ex vera religione commodis cautio suggeritur de non adorandis Diis alienis *Ios. 24, 15. & seqq.* deorum, quibus patres in Mesopotamia Ægyptoque servierunt, sublatio præcipitur, & genuinus veri Dei cultus, tum plurimorum recensione miraculorum, tum efficacissimo Josuæ exemplo inculcatur. In N. T. ipsius Salvatoris cura atque industria Apostolorum circa negotium hoc occupatissima fuit? quid enim, non impenderunt verum cultum hominibus erudiendis? quam solerter dehortati sunt à fermento fucoque Pharisaico, ut proinde clariùs hodie lucens Evangelium, sincerorem etiam & exactiorem cultum jure suo non postulet modo, sed flagitet, præcipue tamen ab ijs, qui regendis alijs præfecti ut. Itaque atro carbone notamus, quæ *Francisc. Mer. in Man. Pol.* insignis, sed improbus Machiavellista satanico consilio effutit: *Consultum nempè judicans si Princeps ita religionis observator sit, ut non omnia ad lapidem Lydium probari sinat; sed saepe, si id sibi & statui publico videatur utile & frugiferum*

P. seq:

e. 12.

Obi.

Resp.

(3) Remp.
cum hete-
rod.

p. 176.

rum esse, falsi quippiam in ea doceri & fieri permittat, illudq; etiam comprobet, etiamsi id noverit, aliter se habere. Quin, addit, suaderem, si Princeps statum aliter conservare non possit, religionem Turcicam, Judaicam, vel Gentilem probare, & licet eam nolit in cœtum subditorum introducere, ipse tamen suo exemplo invitare alios, vel non impedire possit, si sint, qui illam velint amplecti: Multa enim ad conservandum imperium sunt facienda. Hæc, inquam, atro carbone notamus: piget enim refutare, quæ non citius recitata audieris, atque refutata. Sanè hac ratione perinde fuerit, sive in Deum credatur, sive Diabolum. Vid. Clasen de Rel. Pol. Possit tamen alicui dubium suboriri, annon Deus heterodoxorum & alieno à nostro Lutheranorum cultu delectetur; cum & violatores Ethnicorum sacrorum sæpiusculè divinitus punitos fuisse, historiarum reliquerint monumenta. Id verò sic comparatum esse intelliget, ut animus quidem violantis irreligiosus justè pœnas luerit; religio autem violata non illicò probata, vel veritas ipsius DEO fuerit vindicata.

§. 8. Superest tertia mixtionis species nostra, quæ πολίταις affligit, sive Resp. eò diligentius ponderanda, quò majus illi præsidium auxiliumque à nostra ætate accedere, non sine acri dolore cordati vident. Illa tolerat, recipit, fovet, fœderibus & militiâ jungit extraneos fidei; sed inconsultâ, sed reclamante, s. scripturâ. Exod. 20, 2. Non habebis Deos alienos, atque ita nec cultum alienum s. publicum sive privatum coram me i. e. quàm latè se explicat divini radius oculi: hæc enim vis est vocularum יְהוָה דֵּי מִלְכָּא de quo videnda Lutheri Glossa in Majori Catech. Exod. 34, 12. Cave, ne unquam cum habitatoribus terra illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. Deut. 7, 2. cum tibi Deus tradiderit (gentes,) percuties eas usque ad interuersionem; non inibis cum iis fœdus, nec miseraberis earum; cujus præcepti neglectus Israelitis vehementer exprobratur Iud. 1. & 2. Es. verò 8, 12. arguitur populus, quòd cum idololatriæ Regibus fœdus inire voluerit. Quò referenda sunt dicta Paulina 2. Cor. 6, 14. seq. Rom. 16, 17. 2. Thess. 3, 14. & Johannæa 2. Ioh. 3, 5. 6. 2. Ioh. v. 10. Apoc. 18, 4. Satis perspicua, ut hinc discamus, irritum esse, quod de heterodoxis N. T. excipi queat; tanquam ad eos nullo modo porrigatur hoc V. T. interdictum, cum Christus non venerit perditum; sed servatum animas hominum Luc. 9, 56. tametsi enim non diffiteamur, sæpè pœnæ & procedendi modo cum devotis illis gentibus singulare quiddam, nec iterùm facilè in exemplum, innexum fuisse, generale tamen ac morale manet: Neq; cacodoxos neque errores ipsorum esse fovendos; verùm utrosque debito & sollicito modo declinandos. Equidem si praxin, ut vocant, currentem, observare velimus, non nullæ Doctorum distinctiones hîc repetendæ sunt. Et primò quidem circa receptionem heterodoxorum inspiciendæ sunt leges & pacta fundamentalia, quibus illi haud rarò tutari sese possunt, quorum terga quàm ora videre Resp. sine dubio mallet. Inter eà sicut religio & Ecclesia non abolent Politias; ita nec istud hominum genus defraudandum est suo jure; Majorum verò nostrorum transactiones & pacta rimari, frustraneum, dirimere, etiam nefas fuerit. Deinde circa tolerantiã tranquillã à turbidis, seducti à seductoribus, pertinaces à docilibus, non omissis etiam aliis circumstantiis, discernendi sunt, nam omnes eodem loco habere, id verò nec æquitatis nec juris foret. Jam quod fœdera attinet, non ea sunt ejusdem generis, neque ineuntur cum iisdem. sunt, quæ sui quis defendendi, sunt quæ alterius oppugnandi ergò, utraque vel urgente necessitate & exigente Reip. salute, vel secus pangit. Quod totum negotium ad sæpius laudat, Dn. D. Gerhard. de Mag. Pol. Ant. Fabr. de reg. Rel.

cap 6. l. 3. c.

4. l. 2. ax.

105. l. 2. c. 15.

II. minatus

est male

heterod.

Reink. Bibl. Pol. Grot. de I. B. & P. nunc volumus remissum, sententiæ tamen Grotianæ & Annotatoris ad Fabr. præ altera ægrius subscripturi.

§. 9. Revertimur itaque unde digressi sumus, ad sacram videlicet scripturam, quam & comminantem deprehendimus mala Politica atque Publica falsæ deditis religioni horumque sociis. Deut. 7, 25. 26. sub anathematis pœna sculptilia, & vel aurum sive argentum inde conflatum execratur. Lev. 20, 22. 23. sanctam gentem à vestigiis idololatrarum dehortatur, ne & ipsam evomat terra, quam intrata est. eximiè hûc pertinet locus 2. Paral. 7, 19. ubi Deus ad Salomonem si, ait, aversi fueritis, & abeuntes servieritis diis alienis, evellam vos de terra sancta, & domum hanc (recens dedicatum templum) quam sanctificavi nomini meo, projiciam à facie mea, & tradam eam in parabolam &c. Hujusmodi Comminationum plena est omnis Prophetarum vaticinatio. Vid. Osè. 8, 4. Amos. 2, 4. & 4, 6. &c.

§. 10. Sed

§. 10. Sed agedum ex patiemur aliquantisper in amcenis *exemplorum* Sylvas, inde, quod *III. inflixit* imitemur vitemusque, capturi. Ac primum quidem terrere nos debent eorum vestigia, quos *pœnas e. g.* Deus propter idololatriam vel idololatricum commercium punivit. *Israëliitarum exemplum* eò illustrius est, quòd iteratis vicibus hujus rei dedere documenta. Seducti illi à circumjacentibus ethnicis dimissò verò Deò, & ipsi Baal atque Astharoth serviebant; sed adeò exarlit in eos divina ira, ut traderentur in manus diripientium, qui vendiderunt captos, neque jam amplius resistere hostibus valentes, quippe ubique vindice Dei dextrâ pressos. *Vid. Iudic. 2, 13 seq.* Cumque veteribus peccatis nova etiam jungerent, ac Diis insuper filiorum Ammon & Philistinam fervirent, easdem pœnas dederunt, traditi in manus harum gentium. *Iudic. 10, 6, 7.* Ita conubia cum infidelibus promiscua toto servitutis octennio liberrimus populus cogebatur expiare. *Iudic. 3, 6. & 9.* Neque verò integram modò gentem; singulos etiam Reges, Principes, Magistratus corripuit hæc divinæ ultionis flamma. *Samson* contraxerat matrimonium *Samsoni.* cum Philistæis & scorto sese Palæstino obnoxium dederat; at suo pessimo. *Vid. Iudic. 14, 1. & seq.* quantum aggravata fuerit manus Domini super *Azotios*, quòd arcam Domini juxta *Azotiis.* Dagonem suum posuissent, vix sine horrore legi potest. *1. Sam. 5.* Ita *Salomonis* idololatria *Salomoni.* regni in servum translatione punita est *1. Reg. 11, 11. Ieroboami*, arefactâ primum manu *1. Reg. Ieroboamo.* 13, 4. dein adeò eversâ & deletâ de superficie terræ domo ejus, ut *& percuteretur ad parietem* *ringens, neque dimitteretur de semine ejus vel una anima* *cap. 14, 10. & 15, 29.* Idem sensit reliquus idololatricorum Regum numerus, quem istius *Ieroboami* peccata infecerunt pariter & interfecerunt. Si profana juvant exempla, potest hic noster fieri, qui non est noster *Vernul.* *Coll. Porc.* Unicum addemus *Franciscum* primum *Valesium*, Galliarum Regem. Ille fœderis, *part. 2. p. 17* sine conscientia cum Turcis pacti, evidentissimas luit pœnas, nec ipse solus: sed omnes infimul posteris ejus: *Continuis enim bellis Civilibus impliciti: infinitis ferè constricti perjuriis: irriti odio bonorum hominum: illaqueati metu aeterni supplicii, miserandis mortibus occubere, cumque ipsis dignitas Regiæ, res gesta, monumenta majorum, omnes regni vires atque opes: Valesiorum ista conciderunt universa, ut refert Historicorum facile Princeps Thuanus, quin lib 15.* ipse Rex moriens gravissimè de semet conquestus est, *Vid. Sleid. & Limn. ad Cap. Caroli V. p. 87.*

§. 11. Quemadmodum verò Deus religionis mixturam & falsitatem, ejusque proxenas & patronos detestatus est, severis etiam pœnis mulctavit; ita ex adverso religionis puritatem & veritatem cum mandatis, tum promissionibus egregiis inculcavit, affecitque ipsius cultores atque alumnos insignibus beneficiis. Ipse enim totum cor, omnesque totius animæ vires in cultu suo postulat *Deut. 6, 5. Matth. 22, 37. prater se nesciri alium Deum cupit* *Hof. 13, 5. sic data.* *Ies 23, 11* monet Ecclesiam his verbis: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. mundamini, qui fertis vasa Domini. vid. Glossa Osiandr.* Neque præmiis destitutum iri, qui ei dicto audientes sunt, *Ier. 15, 19. 20. innuit. Nam si, inquit, separaveris* *(1) man-* *dabo te populo tuo huic in murum æreum, munitum, & bellabunt adversum te, neque præval-* *bunt, quia ego tecum sum, ut salvem te & eruam, dicit Dominus. Idem sc. qui ad Salomonem* *2. Paralipp 7, 17. 18. si, inquit, ambulaveris coram me sicut ambulavit pater tuus David &c.* *Suscitabo thronum regni tui sicut pollicitus sum David, patri tuo, dicens: Non auferetur de stir-* *pe tua vir, qui non sit princeps in Israel.* Cujus rei luculentus testis totiens fuit *Israëliticus* *(3) præmia.* *populus, quotiens ab idololatria alienus, aut eadem sublatâ ad Deum conversus: testis est Se-* *renissima domus Saxonica, omnibus hostibus superior, & quotidie servatæ religionis ferens* *Saxonibus.* *præmia. Ita Constantinus olim Magnus veræ pietatis se præbuit assertorem, quæ ad id ævi jace-* *bat, oppressa cædibus, ignibus, aquis: & caput aut vocem attollere in ejus professionem non erat.* *Constantino M.* *Ille ante Principatum affectum aliquem, & jam Princeps amorem ostendit: templa, Diis clau-* *sa, aperuit, & omni vi atque arte hoc nomen & numen ivit propagatum. Annon (verò) se* *una? imperium turbidis illis temporibus & seditioni factis, firmiter ad senectutem tenuit, & suis* *adeò reliquit. Prospera multa bello gessit, veterem Romam tenuit, & novam struxit. Hac l. 1. c. 2.* *omnia cui accepta, nisi Religionis atque ejus tutela, referat? Lips. in Mon.* *Hinc opti-*

§. 12. Quin imò si oculorum aciem in historias convertimus, Sanctissimi quique Reges, Principes, Prophetæ religionis dilexere puritatem; impuritatem contra non odio saltem illi studuerunt.

- Moses.* habuere; sed omninò sunt abominati. *Moyfes*, qui documentum & initium fuit populo suo religionis, vix fundamentis jactis, penè desperabat Remp. Hebræorum, cum vituli statuam in deserto posuissent invocandam, itaque idolum igne consumi, & in pulverem redigi, maleficium verò ter mille hominum internecone expiari voluit *Exod.* 32. Pari religionis æstu impulsus *Gideon*, lucum & aram Baalis evertit, in locum verò ejus altare sanctum substituit, & ad hostias Deo immolandas instruxit *Judic.* 26, 25. Neque *Davidis* obscura est circa cultum divinum industria, quanquam propter bella & regni motus multæ superstitionum reliquiæ fuerunt ferendæ. Nec *Asa* quoque, Salomonis nepotis, qui omnia adminicula falsorum dogmatum removeri, confringi columnas, destrui altaria, lucos excidi, omniaque simulacra, fallis dicata cultibus, tolli jubebat. Quem parentis zelum, si minus imitatione assecutus esse videatur filius
- Iosaphat.* *Iosaphat*, voluntate certè & conatu adæquavit, in eo, quod impetium suum superstitione & idolorum cultu voluit esse vacuum. 2. *Paral.* 17, 3, & 20, 32. *Ezechias* verò præter cætera impietatis fomenta, etiam altitudines, hætenus à majoribus suis toleratas, sustulit, quodque aliis fortè vitio datum fuisset (nimirum ænei serpentis à Mose extructi demolitio) hoc ipse sibi gloriæ duxit, ratus, nec semina falsæ religionis in hominum relinqui debere animis. 2. *Reg.* 18, 4.
- Iosias.* Verùm nemo par fuit *Iosia* Regi, tum ob impetum animi planè divinum, tum ob eventum in rebus agendis prosperitatem. Ille enim sacrificulos Baalis, Lunæ, Planetarum, totiusque cælestis exercitus delevit: altaria Salomonis & Jeroboami & aram Bethelinam destruxit, immolatis flaminibus super aris ipsorum, & ossibus mactatorum igne consumptis, denique quæ vitiosa consuetudo corruperat, restitutis omnibus 2. *Reg.* 22, 13. 2. *Paral.* 34. in quo tum alia multa, tum illud in primis commemorabile est, quòd cæteris quoque regni Israëliti populis, nullo obedientiæ vinculo sibi obstrictis, autor fuit recuperandæ veræ religionis 2. *Paral.* 34, 33. & 35, 18. errantesque exemplo magis quàm imperio in viam redegit. Iisdem agitur stimulus *Elias Thisbites*, planè heroicus orthodoxiæ vindex, plus octingentos Baalis lucrorumque prophetas, tanquam fulmine percussos, ad unum omnes jugulavit 1. *Reg.* 18, 40. Quò pertinet totus *Martyrum*, veritatis testium, catalogus, qui sanguine suo maluerunt religionis subscribere puritati, quàm idolis quibuscunque commisceri. Horum virtutes æmulatus gloriosissimæ memoriæ Rex Sueciæ, *Gustavus Adolphus*, non modò passim labentem veri Dei cultum erexit ac vindicavit; sed heterodoxiæ quoque, quantum maximè potuit, obstetit, itaque à Wilhelmo Hassiæ Landgravio rogatus, ut in Civitate Francofurtensi nostra Calvinianis ædificari templum permetteret, voce planissimè regia: *se potius, respondit, passurum, ut omnium suorum militum enses & hasta cordi suo infingerentur, quàm causaturum (effecturum) esse, ut victricibus suis armis Religioni Calvinianæ vel minimum accresceret &c.* Vid. *Ponderat. Instr. Pac. Cas.* 1647. exhibiti.
- p. 20. *Obj. 1.* §. 13. Objici tamen hîc duo forsân possint (1) zelotas & puritanos infausa habuisse fata, nam & laudatus modò *Ezechias* eò ab Assyriorum Rege adactus est necessitatis, ut quicquid undique corradere auri argentique valuerat, emendæ paci impenderet, neque felicius; quin durius, fuit *Iosia* fatum, bello adversus Ægypti regem haud temerariè sumpto, cadentis. Vid. *loc. cit.* Nunc si ad priora quoque secula respicere animus est, quis nescit *Ludovici Pii*, Galliarum Regis, miserandum exemplum? *Is susceptis duabus contra Saracenos, Ægyptios & Africanos expeditionibus, religioso quidem incepto; sed exitu adverso, in priore Damiatam urbem, qua est Pelusium, impugnavit, sed fratres Carolum Andegavensem atque Alphonsum, cum progressi essent in Ægyptum longius, ab hostibus interceptos, restitutione Damiatæ urbis redemit. In altera, Carthagine capta, Tuncetum obsedit, sed ad eam urbem peste grassante, ipse interiit.* Vid. *Chron. Carion.* Contra (2) qui cum allophylis aut alienigenis conjugia & fœdera contraxere, vel idololatriæ etiam studuere, prospero fortunæ flatu usos fuisse, exempla bene multa testantur. Nota sunt fœdera Abrahamæ cum Mamre, Escol & Anere. *Gen.* 14, 13. Isaaci cum Abimelecho. *Gen.* 23, 15. Salomonis cum Hiram. 2. *Reg.* 5, 12. Asæ cum Benhadad. 15, 18. seq. Judæ Maccabæi cum Romanis 1. *Macc.* 8, 20. Estheris cum Ahasvero *Esth.* 2, 8. seq. si non laudata, certè nec improbata, & satis felicia. Jam quid de *Mahomete* dicemus, qui novam religionem, seu potius superstitionem, commentus est, profectò planè indecoram, futilem, nec colore ullo veri tinctam? at universus tamen orbis stupet illius imperii felicitatem juxta ac amplitudinem.
- p. m. 791.

ritudinem; Adde *Vernul. l.c.* Sed isthæc sententiæ nostræ nequicquam officiunt: nam prius *p. 13. 21. &c.* quod attinet, zelotæ illi non idè afflicti sunt, quòd religionem colerent puriorem; sed quòd *Resp. I.* vel aliis peccatis fuerint obnoxii, innuente ipsa scriptura *2. Reg. 18. 12.* vel quòd explorare Deus fidem ipsorum voluerit, cuius iudicia imperscrutabilia, viasque impervestigabiles esse novimus, semper tamen misericordem in suos voluntatem, ut ut ejusmodi castigationes carni videantur æquò non nunquam duriores; aliàs enim eadem concludendi ratione Philisthæorum v. g. aut Assyriorum cultus, præ religione Israelitarum, quibus illi non rarò dominabantur, foret extollendus. Neque alterum solutu difficile est, si cogitemus committi hîc itidem fallaciam à non causa ut causa; Ac de fœderibus illis videndi sunt *Gerh. Reink. Fab. locis suprâ cit.* De felicitate verò Idololatrarum, quæ prorsus accidentalis est, cum Assapho sanctuarium Dei intrandum *Psal. 73. 17.* neque latebit amplius, quòd; ut verbis dicam *Claudiani,*

tollantur in altum

Resp. II.

In Ræsin.

l. 1.

Vt lapsu graviove ruant.

§. 14. E quibus omnibus sufficienter elucet, quænam cujusque in religionis negotio partes sint. *Oeconomus* scil. ut allophylos eorumque commercia omni studio declinet, nisi periclitari velit suam religionem, i. e. rerum omnium preciosissimum. Quando enim, ut fieri sæpius amat, ipsi Cacodoxi sufficienti fidei suæ notitiâ destituuntur, sive suâ ipsorum culpa, seu fraude Doctorum, quippe quorum interest, ne sinistra dogmata exactius sciantur, manifesto hæc se indicio; quando etiam sub ambiguis vocibus, velut sub herba se anguis, virus tegunt, quò artificiò hodierni maxime Calviniani, utinam sine tanto nostratum detrimento! præstant, nihil equidem citius contingere potest, invitante præfertim quadam lucelli spe, quàm turpis à fide defectio; facillimè autem, si utrinque ineantur matrimonia: nam & sapientissimus Salomò in hos scopulos impegit *Reg. 11. 3.* neq; Achabum sua servavit potentia *1. Reg. 16. 31* sed succubuit conjugalibus ad idololatriam illecebris, quas ferè semper in mulieribus prævaluisse, observat *Reink. Bibl. Mos.* Certè Herodiadis suâsu Herodes decollari Johannem mandabat: neq; Chrysolomus fuisset in exilium pulsus, nisi sufflante Arcadii uxore Eudoxiâ *vid. Tripart. Est igitur,* ut totam rem brevissimè comprehendamus, est, inquam, pii, malum hîc declinare, prudentis pericula præcavendo antevertere, sancti à profano abstinere, cauti alieno malo sapere, insipientis in ignem se sponte injicere: *l. 3. ax. 5.*

§. 15. Porro *Ecclesiæ Ministris* incumbit, populum fideliter erudire, sive, ut *Ambrosius* loquitur, *salutaribus divini verbi epulis pascere,* & contra hujus perversores in excubiis esse, *Act. 20. 28. sermonem predicare & instare tempestivè, intempestivè, arguere, increpare, dehortari cum omni lenitate & doctrina, secundum Pauli verba 2. Tim. 4. 2.* & exemplum, quò non purum modò de Christo evangelium prædicavit & disseminavit in thesi; verum in antithesi quoque ignoti Dei altare *Act. 17.* & Dianæ superstitiosum templum cultumque *Act. 19.* penitus voluit destructa. *Sicut enim agricola est, non solum optimam sementem facere; sed infelix quoque lolium, quoad fieri potest, evellere; Ita non satis erit fido Pastori, sanam doctrinam proposuisse, nisi succrescentes errores etiam extirpare conetur,* aliàs enim & ipsum feriet Pergamensis Angeli exprobratio: *Habeo adversus te pauca, quia habes istic tenentes doctrinam Baalam &c. quod odi Apocal. 2. 14. 15.* Aperit hîc sese amplissimus dicendi campus, quod disputationes attinet religionem concernentes. Nam & olim summis hæretici viribus in id incubuere, ut easdem redderent quàm maxime invisas, nec dici potest, quàm sint intolerabiles nostris syncretizantibus. His enim declamationibus omnes ferè scenæ perstrepunt: Non disputationes amplius; sed altercationes, neque eas veritatis; sed victoriæ & ostentationis gratiâ institui: longè aliter Salvatorem nostram, aliter Apostolos hîc processisse: imò sapere *Turcas & Moschos, apud quos de religionibus disputare capitale sit: olim mysterium theologiam fuisse, nunc factam populare oblectamentum,* quin & compositis ad invidiam verbis mirantur eos, qui placidissimam religionis Christiana mansuetudinem aliis inculcant, tam horrendis scætantibus affectibus gestare animos, ut quilibet se suaque tanti faciat, ut qui diversa sentire ausus fuerit, continuo aternis flammis addicatur, ne Deo quidem tam severas sententias rescindendi facultate relicta. *Vid. personatus Severinus de Monzambano.* Eandem querelam intonuit nuper admodum nescio quibus rationibus inductus, certè noxiò & scandaloso exemplo, *p. 198.*

PORI-SMATA.

1. pro Oeconomo.

l. 3. ax. 5.

l. 20. c. 13.

2. pro Ecclesia Ministro.

Meisn.

Phil. sobr.

part. 3. p.

m. 772.

Lips. Pol.

l. 4. c. 3.

p. 198.

nostra-

p. 668. & nostratum quidam, dum theologos nostros, etiam non postremi ordinis, oleum flamma quàm
 660. aquam afferre libentius scribit, proindeque ad texendam compositionis suæ amicabilem telam
 id primò necessarium exigit, ut *invektiva illa ac in Ecclesiis certè nihil profutura disputatio-
 num ac concionum acerbitates ex omni parte sub severa pœna inhibeantur, permissâ cujusque
 religionis in thesi, & quod articulos positivos declaranda licentiâ.* Quod egregium scilicet
 consilium, cum non debebat in me obtrudi, corroborandum erat exemplis, & quidem ipsius
 etiam, tanti luminis, Lutheri, quippe qui teste *Sleidano de statu Religionis, multoties instan-
 ter petierit à Pontifice ejusque Cardinale Cajetano, ut utrique parti, hoc est, sibi ipsi &
 Eccio aliisque adversariis silentium imponatur.* Antequam verbo ad hæc respon-
 deamus, postulabimus nobis monstrari tam horrendis scatentes affectibus & contentiosos
 theologos, vel enim erunt è castris alienis, & tum eorum pugnae nos immisceri haud
 opus erit, vel erunt è nostris, & tunc inspectis probè omnibus observatisque, quæ
 hostibus quæ armis, quid dicendum foret, diceremus. Nunc quia ferè hariolandum,
 neque credibile est, eos modestiæ causâ omissos, videntur adversarii quoddam quasi
 præsidium in eo quærere, dum ad eò lubrica accusatione id perstringunt, quod nec est,
 nec si esset, à cordato quopiam probaretur. Certè ut in rebus omnibus; sic & in disputatio-
 nibus de fide, medium tenendum esse, ad eò Theologi nostri haud negant, ut contrarium lucu-
 lentissimè suo doceant exemplo. Quod verò validis & iteratis ictibus Lernæa illa capita
 truncent, quod ancipiti spiritus gladio corruptorum dogmatum monstra jugulent: quod ru-
 dem quoque plebeculam elatis in modum tubarum vocibus pseudoprophetas cavere jubeant,
 quod dulce fistulantium cum verbo divino a symphoniam prodant, quid ad eò mirum est, si
 agitati suo spiritu adversarii, in id maximè invehant, unde maximum damni ad sese redundare
 persentiscunt? Non aliunde profectò illæ lachrymæ! hic, *hic est ille lapis illisionis*, verius,
 quàm ille, dixerimus. Quid enim? episcopus non tantum *διδουκλὸς*, quod præcipitur 1. *Tim.*
 3, 2. sed etiam *ἐλεγκτικὸς* quod 1. *Timoth.* 4, 2. *ut potens sit arguere contradicentes Tit.* 1, 9. an
 rectè fecerit, si secus fecerit? At exacerbantur animi: accenduntur magis ad contentionem
 hæretici, indignantur, indurantur? Sanè haud nostro, verum perverſi genii vitio, apud quem
 veritas odium parere, non heri demum aut nudius tertius cœpit. *Nec propterea nihil se egisse
 putet, qui hæreticum vicit & convicit &c. Nempe cepit nihilominus qui talia operatus est,
 vulpem, etsi non ad salutem illi, & cepit eam sponso & sponsa, quamvis aliter. Nam etsi
 hæreticus non surrexit de fece, Ecclesia tamen confirmatur in fide, & quidem profectibus
 sponsa sponsus sine dubio gratulatur Bernhard. super Cant.* Jam quod Christum attinet Apo-
 stolosque, quorum tutari sese exemplo volunt nostri Irenes filii, quàm potenter ille prædicavit
 regnum Dei? quàm graphicè depinxit illam viperarum progeniem, Phariseos, omnemque
 horum appendicem? & quàm constanter isti Magistrum optimum secuti sint, vel solis Ste-
 phani ac Pauli exemplis patet *vid. Act.* 7, 51. & *Galat.* 3, 1. Lutherus verò satis mirari nequeo,
 quàm fronte huc trahatur, quod enim ille non subito & derepente omninò fuerit illuminatus;
 sed subinde in quibusdam cœcutierit, quæ insequentibus temporibus correxit, & cuius histo-
 riam legenti in aperto est, & evincunt posteriora Viri scripta irrefragabili certitudine, ad eò
 quidem, ut si ipsum dicerem hinc humani aliquid pati potuisse (quis enim non reformidet to-
 tum ferè mundum, jugulo suo imminentem?) & passum quoque fuisse, haud dubiè verior
 quàm liberior vox fuerit. Itaque nullas de suggestibus controversias moveri; disputationes
 Turcarum Moschorumque more interdicerè, arcanum quidem est, at non in cœlesticuria de-
 cretum: sed Clapmarii potius ac Lipsii cerebro natum. Quàm insignis enim & necessarius
 illarum, regularium scilicet & regulariarum usus sit, tum per se patet, quod veri falsique se-
 questræ sint, tum ab omnibus conceditur, temporum gnaris. Noti enim sunt Origenis cum
 Beryllo: Malchionis cum Samosateno aliorumque cum adversariis, seculo præsertim tertio,
 felicissimi congressus, quibus hæreticos ita dederunt in ruborem, ut ne hiscere contra ausi
 fuerint, evidentissimo malæ causæ argumento. Verum hæc tela malè in nostros dirigi, ex-
 ceperit fortè quispiam, cum contentiosum disputandi modum duntaxat increpent, neque in-
 fantem cum sordibus ejeciant. Egregiè profectò & artificiosè composita ad fallendum spe-
 cies! quis quæso est contentiosus ille modus? Nimirum, ubi, Pauli exemplo, ne latum
 quidem

p. 660.

Obj.
 Lips. Pol.
 4, 3. 14.
 Resp.

Serm. 64.

Obj.

Sol.

quidem unguem invitâ scripturâ cedimus: cum, demtis verborum flosculis larvisque, dogmatum monstra soli exponimus? cum non pietatem modò animi & frigidam morum probitatem inculcamus; sed mysteriorum etiam reconditos thesauros, haud infimum sacræ scripturæ scopum, auditoribus diligenter recludimus. Hinc est, quòd Doctores nostri *Clamantes, Rixantes, Sycophanta* & quid non? apud ipsos audiant, adeò non stomachaturi, ut potius sibi honori ducant, posse aliquid propter nomen Christi pati: nam ut convitium convitio regerant, non ante facient, quàm lutum luto purgabunt, etsi dementi, at ejus optimo, dementiam sæpius ostendant, neque eo desistent, quamdiu impietati viam emunire, religioni ducent; sed palam facient ovium atq; luporum discrimina. In quo negotio à Magistratibus insuper dextrè juvandi sunt.

§. 16. Nec enim illis *Ecclesiæ nutritiis Esa. 49, 23.* pro quibus fundere preces jubemur, *III. pro ut sub illis piè & tranquillè h. e.* ex utriusque præscripto tabulæ *vivamus I. Tim. 2, 1.* sola morum honestas; sed maximè etiam Verbi majestas à DEO concredita est, quicquid ogganniant suæ rei & dominationi plus justò intenti, indeque à cura religionis sacrorumque, Magistratum penitus exclusum, dicis tamen gratiâ pro executore eorum, quæ statuuntur à Clero, nefariè habentes Pontificii, sicut igitur salus Reip. Magistratui sine dubio mandata est: sic quoque religionis cura ad eundem pertinet, & ita quidem pertinet, ut meritò *prima sit rerum divinarum curatio*, docente Philosopho *Pol. 7, 8.* & gemino quasi labore defungatur, porrigenda tum in collapsæ religionis & depravati cultus sedulam instaurationem, tum in veræ religionis & recti cultus operolam conservationem. De priori cum loquimur, non possumus non vehementer improbare vagam illam quarumvis religionum conniventiam, tepidamq; neutralitatem (*vid. Clasen.*) non minùs certè, quàm in publico incendio illicitam. Sed magis etiam Pontificiorum crudelitatem & Hispanicas i. e. satanicas inquisitiones, quibus urendo, secando, & mille mortium generibus hæreticos, sive à fide sua discrepantes, indicta quoque causâ, ad eam ut Magistratus cogat, tantum non sub anathematis fulmine compellunt, quibusdam tamen inter ipsos mitius & rectius sentientibus. Itaque alteri illi in eo toti sunt, ut velum suæ tyrannidi obducant, inter quos *Lipsius, sicut in omni re theologica aut quocunque modò ad religionem pertinente; ita hic maximè lubricus, anceps, vagus, & in omnes formas mutabilis, modò aliquid largiri, modò adimere rursus cupiens, sicut rectissimè de ipso judicat quo gloriari licet præceptore, Magnificus Dn. Bœclerus.* De posteriori, nolumus, Magistratum ulla in parte deesse religionis puritati; sed quibuscunque modis legitimè potest, eidem velificari. Tametsi enim non est doctrinæ judex falli nescius, quia tamen ipse imbutus est vera religione, cujus & exactam aliquando rationem reddet, diligenter inquirere debet in ejus puritatem, & ne res Ecclesiastica aliquid capiat detrimenti: Non enim sufficit, contra externam vim religionem defendere, quod Bellarmino & *l. 3. de Lipsio* videtur. Omnem Ecclesiæ fortunam hoc munus complectitur. *Diuturniora enim ple-* rumque & graviora mala sunt, qua intus concipiuntur: quàm qua extrinsecus adveniunt. *Modi-* cum est, externa averti pericula: si domi vim patiatur pietas: si disciplina concutiatur: si expilentur *18. Adv.* bona Ecclesiæ: si alimenta subtrahantur pauperibus *Deut. 13, 2. Reg. 18, 2. Paral. 34.* & ibi uterque *Dial. c. 2.* *Osiand. Fab. de Rel.* Quo circà non requiritur solùm veræ religionis è. s. literis cognitio; sed & dilatandæ huic cognitioni idoneorum Ecclesiæ scholæque ministrorū constitutio, qua tamen in re prudentia certare quasi cum pietate debet, exemplo cautissimæ antiquitatis, quæ, nisi sufficientibus orthodoxorum testimoniis instructos, tam ægrè admittebat in Ecclesiam, quàm commoratos in locis, peste infectis, in urbem; præsertim verò Consiliariorum: nam qui hæreticis opinionibus imbuti sunt, facile pertentant Magistratuū animos, iisque virus suum occultè instillare, sæpè non sine successu conantur. Quapropter meritò suspectum est *Monzambani* pro religionum Concordia, & subsecuturis hinc Reip, commodis, consilium, si *Principes, inquit, in adsciscendis Ministris non amplius vocabula sectarum; sed animi atque ingenii dotes spectent, si parimodo utriusque religionum addicti Cives habeantur si sacerdotibus interdicatorum, Controversias illas in Concionibus agitare, & asperis nominibus alteram partem perstringere, si denique in scholis publicis non ferantur Doctores, nisi viri moderati atque prudentes, non dubito, quin paucos intra annos illa lites ultrò sint expiratura.* Credo equidem, sunt expiraturæ; sed irreligio simul impietasque triumphaturæ, inevitabili Reip. pernicie & ruinâ. Non cessabunt

illi Ministri circumire suos, tanquam strenui duces, atque ita opibus, consilio, viribus juvare, ut brevi temporis cursu ministri Domini, parentes imperantes, numerus universum, infima summa evadant. *Vnus post alium, tandem consumitur omnis.* Cæterum an penes vulpeculas istas genuina modestia aut prudentia, num potius simulatio & calliditas sit, utinam tot Resp. non comperiissent! Quare ut probi Oeconomi Conjuges: ut Pastores Ecclesiæ, Doctores; ita Magistratus Cives heterodoxos admittere aut fovere non debent; sed omnes omninò pro viribus religionis studere sinceritati, patrocinari, opitulari. Non nunquam tamen temporibus credendum esse, etiam cum non dicimus, intelligi volumus. Interea probè cavendum, ne nosmet ipsi fingamus necessitatem, aut quicquam insuper habeamus, orthodoxiæ proficuum. Non nescio, ridebit hoc decretum Pseudo politicorum agmen, *mirabiturque, cum Imola, multorum Principum consilia hunc potissimum scopum sibi præfixum tenere, ut religionem primo loco sinant esse vid. Clasen. At liceat hoc modò alloqui mutato verbo Poeta.*

p. 330.

Horat. Ep.

l. 1. ep. 6.

Obi. I. ab

Vilii.

Nil hinc mirari propè res est una Statistæ,

Solaque quæ possit facere & servare beatum.

§. 17. Sed hinc se nobis validior hostis opponit, cujus intuitu Magistratum credideris & posse & debere in Remp. suscipere cacodoxas. Isque est *Utilitas*, haud dubiè inde insigniter proventura. Nam ita censent Politici, etiam quorum præcordia de meliore luto fixisse Titan videtur, nempè: Diversitatem Religionis magis prodesse principi quàm obesse, cum illa impediatur, ne subjecti concordēs in illum conspirent, throno detrudendum; quali opinione Hugonotæ Galliæ Reges imbuere laborabant. Vid. Les Memoir. du Duc de Roh.

Resp.

Sed tristia illa intestina Germania & Gallia bella, ac funestissimum ante lustra aliquot Britannia spectaculum hoc Politicorum placitum vanum ac ridiculum demonstrant. Nec verisimile est, Principem subditos habentem, quorum non nulli opprimere alios student, non nulli, ne opprimantur continuo metu laborant; semperque ad defensionem attentissimi, domi ac belli ce-

Obi. part.

r. sect. 4.

lebritatem fame adipisci posse. Verba sunt Doctiss. Mœlckii ad Relig. Med. At fiet tamen, ut qui sciverint alicubi suarum religionum asylum; magnò numero confluant ad istum locum, quò cœtus augebitur subditorum, commercia stabiliuntur, locupletabitur ærarium publicum, in quod illi sua libenter conferent tributa. Igitur cum ad eò utilis sit alienigenarum in Remp. susceptio, non videtur esse omittenda. At rectè! non videtur; revera tamen est. Damnanda quippe & noxia utilitas ista, quæ fidei, religioni, pietati mille pericula creat, & atrox indicit bellum. Certè in ejusmodi consultationibus argumenta ab utili, eoque incerto, accersere, planè perversus procedendi modus est; potius pii & honesti respectus habendus, neque istud ab utili separandum venit. Reclamant aliàs Solones & Cicerones, Politici profecto, si qui alii, prudentissimi, negantes: honestum utili, officiosum emolumento, κατόρθωμα φαντασμάτι

Resp.

post habendum Reclamat, inquam, Cicero, & Magna, ait, *perniciosa est, quæ nulla major hominum vita potuit afferi, & Lenccius, videndum hinc esse, observat, ne utilitas vincat veram honestatem.* Man muß nicht mehr auff den Wagen der Nutzbarkeit aufladen / als durch die Pforte der Erbarkeit kan geführet werden. Scitissimè, ait, egregiè πολυμαθής, & dignissimus illustri Collegio Professor, Fautorque semper honorandus Dn. Cramerus. Quippe non magis ad fi-

Offic. 2. 1.

Obs. Pol.

77.

nem, quàm media, respiciendum, neque malum faciendum est, ut bonum inde proveniat Rom. 3, 8. sed quam supra posuimus, divini verbi regula sequenda. Acclamet spiritus mundi: *o Cives, Cives, quærenda pecunia primum est! Non Mammon Numini: Non Chrysus Christo antefere-*

Com.

Peregr. p. 38.

Horat. Ep.

l. 1. ep. 1.

rendus; sed reclamandum est illo Salvatoris: *Quærite primum regnum Dei Matth. 6, 33.* quò integro, si temporales divitiæ facultatesque acquiri possunt, concessum utique rectumque est; sin secus, potius eum Christo famas sitisve toleranda Math. 4, 2. quàm cum Diabolo, sed offenso Deo, divitiarum habendum affatim, cum & isthoc solatio erigere nos queamus, facillimum esse divinæ omnipotentiae, tenuem illam, & in sui honorem nominis factam, jacturam mille modis rependere, neque dubitemus, ad eò benedictum iri victui nostro, ut *præstiturum sit parum cum justitia multis cum iniquitate fructibus Prov. 16, 8.* sola enim pietas, benedictionum coelestium ferax, dicit 1. Tim. 4, 8. Psalm. 37, 4. Psalm. 112, 3. Syr. 1, 35. *si qui verò profanant Deum coram populo suo, propter pugillum hordei & fragmen panis Ezech. 13, 9.* hos divina premit sententia, lapsis, bonorum amore temporalium in idololatriam gravissimè minans direptionem fru-

mento-

mentorum, vinorum, omniumque concessorum alimentorum, ut fortunâ prorsus adversâ usuri sint *Ose. 2, 9. & seq.* Ergò non sufficit, Fiscum aut Ærarium locupletari, quod ipsum tamen uti ægrè fit, si cogites subsecutura hic monopolia & propolia; ita longè meliùs, reciso superfluo undique luxu: non sufficit, augeri Civium sive incolarum numerum, si juxta Dei, Deique legis satis memor non sis; illud enim quid aliud est, quàm *Divitiarum multitudine Psal. 49, 8.* hoc autem, quàm *numerosò gloriari populò, ut Ninive, Babylon aliæque urbes prævalidæ, cum tamen hominis auxilium vanum ac inutile Psal. 60, 13. ideoque adiutorium nostrum in nomine Domini sit Psal. 124. ult.* Fisco non nimium studendum, è Seneca iterum *Lenæus ostendit, & Ap- Obs. Pol. 66*
pianus: Non à multitudine, ait, incomposita atque infelici ratio exigenda est. Augustinus: Non- D. C. D.
ne, inquit, in corporibus hominum satius est, modicam staturam cum salute habere, quàm ad mo- 3, 10.
lem aliquam giganteam perpetuis afflictionibus pervenire? nec, cum perveneris, requiescere: sed
quantò grandioribus membris; tantò majoribus agitari malis: quâ similitudine Augustinum
docere, non esse id firmitus aut melius imperium, quod longiùs latiusque patet, annotat Co- ad loc. cit.
quaus. Capitolino autem iudice sanctiùs Resp. obtinet inops, quàm ad divitiarum cumulum
per discriminum atque dedecorum vestigia perveniens. Quemadmodum igitur diluta est, quæ
hic obducitur utilitas, & si cum annexis damnis conferas, prorsus nulla; sic vera Politicæ feli-
citas à Spiritu Sancto ostensa, simul & rerum mundanarum sectatoribus opposita est. His
enim felicem prædicantibus populum, cujus plena sunt promptuaria eruçantia, ex hoc in illud
Psal. 144, 13. & 15. Respondet ipse & corrigit Psal. 112, 1. & seq. Beatus vir, qui timet Domi-
num, & mandatis ejus valdè delectatur: Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum be-
nedicetur: Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitiæ ejus manet in seculum seculi. Adde Psalms.
127. per tot. Quare quid de Aerariis prudentissimi Viri scripserunt, ne verbo quidem hunc au-
gendorum eorum modum attingunt, quem nec sine insigni tentatione Dei usurpari, haud va-
nè credimus. Digni sunt, qui hic audiantur Celeberrimi undique Doctores, B. Hulsemannus p. 409.
in Brev. extens. Nullum tantum commodum temporale excogitari potest, tametsi totius mundi
lucrum secum veheret, cujus intuitu ullius anima detrimentum positivè procurare liceat & B.
Dannhauverius in Th. Consc. Si vel una anima, carò à Christo redempta, veneno inficiatur, ac ex p. 982.
imprudencia nostra pereat, satis id damni est, de quo summo Iudici rigida reddenda ratio. Pruden-
ter itaque, & ex damno pristino sapientes, Dantiscani, quæsitum haud ita pridem pro Com-
merciorum vigore civilegium, Hollandis quoque recusarunt, à quibus tamen, nupero Po-
loniæ bello, satis dextrè sese adjutos, non ingratâ voce profitentur. Et laudatissimè olim Theo-
dosius, cum Ægyptij, indignantes, quòd non ampliùs permetterentur, secundum leges patrias
Nilo sacrificare, eòque, fluvium tunc solitò tardiùs ad primum exundationis gradum con-
stituisse, putantes, seditionem cogitarent, hujusque periculum Præfectus gentis Imperatori
indicaret: satis esse, rescripsit, erga Deum permanere fidelem, quàm fluenta Nili, & ex iis expe-
ctatam anni fertilitatem præposuisse pietati. Vid. Sozom. Si quæris, quòd successu? Neque eru- l. 7. c. 20.
pisse seditionem legimus, & Nilus haud multò post largiter effusus est: indubiò pietatis fructu.
Quare idem Theodosius, satis jam vicinus, Arcadium & Honorium, filios atque hæredes Im-
perii, diligentissimè ad veræ Christianorum Religionis constantiam hortaturus: Hæc, inquit,
& bella conficiuntur, & hostes vertuntur in fugam, & trophæa statuuntur, & parantur
victoria.

§. 18. At verò hic novus prodit hostis, & priore vix minor, Allophyllorum susceptionem *Obj. II. à*
 non suaturus modò; sed blanditiis, quibus primam frontem adornat, ferè imperaturus. Is est *spe conver-*
Conversio, cujus hinc spes cum favere maximè videatur, nuper admodum, argumenti hujus *fisionis.*
 duciâ freti, publicum in Celebris Urbe cultum ambiverunt, sed utinam non tantum videretur! *Resp.*
 utinam non corvo rarior albo esset! quod tamen minimè miraberis, sive indolem heterodoxo-
 rum examines, certè à primis huc usque cunabilis semper eandem, adeòq; futuram eandem, si-
 ve in exempla vel conversorum inquiras, oppidò paucissima, vel seducentium alios, aut occul-
 tà atheismi peste inficientium, sanè quàm plurima. Superioris sæculi, nec infimi commatis,
 Theologus hoc ipsum Conversionis Calvinianorum, de quibus tamen opimior spes ali solet,
 argumentum, Boruffis objectum, tali responso excepit simul & protulit: *Etlliche wenden für/*
zur Scheinung ihrer Heuchelei / daß sie mit ihrer Gemeinschaft die Calvinisten hoffen
zu ge-

zu gewinnen/und auff rechten weg zu bringen : das wäre zwar hoch zu wünschen/und würde Gott ein angenehmer Dienst werden/wenn es erfolgete/wie man voraißt : Aber es ist eitel Be-
 trug und Gespenst des leidigen Satans/damit er nur die Einfältigen anführe /und fehlet ge-
 meiniglich so weit/das die Rottengeister nicht allein nicht bekehrt ; sondern oftmals die recht-
 gläubige Christen dardurch jämmerlich verführet / und vom rechten Glauben abgewendet
 werden/wie dessen viel Exempel könten angezeigt werden: denn das alte Sprichwort nicht ver-
 gebens sagt: wer neben einem hinfenden wohnt/der lernet auch hinfen. Et quod *Lutherus de*
Hæresiarchis; Tom. 3. l. 1. scribit: Ich habe nie gelesen/das die/so Ketzerey anhebe/bekehrt sind/sie
bleiben in ihrem dünnkel verstockt: das Del ist durch Marc und Wein gangen &c. id salvâ veri-
tate de plurimis perversæ doctrinæ cultoribus enunciari potest, quibus si liberum suæ religionis
exercitium concedatur, non modò majores illa spiritus & pertinaciores animos sumet; sed cer-
tissimæ etiam veritatis opinionem sibi arrogabit, eaq; nostram fortè amplexuros efficaciter re-
tinebit, ut quæ bona antè Conversio sperabatur, nunc pessima fiat Perversio, communi utro-
rumq; damno. Nostras igitur aures non fascinabunt ejusmodi Sirenum cantus: sonant illi dulces;
verùm Ulyssibus, quos, quid isti promissores tanto hiatu dignum ferant, jam longa dies docuit.

fol. 312.

Obj. III.
 ab Æquo.

Resp.
 ann. 54. n. 1.
 Cent. 1. 34.

§. 19. Concidit etiam hic hostis; sed jam illicò novus, quasi ex ipsius cinere, surgit. Quod,
 inquam, Utilitas & spes recusabant, *Æquitas* suadere videtur. Cum enim alibi permittantur
 à Cacodoxis sacra orthodoxa, pari ac reciproco jure admittentur sacra Cacodoxa. Hæc quidem
 reflexione usus est Johannes Papa, cum Pacem domesticam redemit impetratione pacis pere-
 grinæ pro Arrianis; sed irreparabili, maximè suo, damno. *vid. Spondan. & Osiand.* Nos plura
 hic desideramus: neque enim sic inferre licet: Deus, heterodoxorum quoque cordium Do-
 minus, efficit, ut hostes Ecclesiæ orthodoxiæ patrocinentur. E. & Satanas valebit, ut orthodo-
 xi heterodoxiæ velificentur. Deinde causæ sedulò rimandæ sunt, quare illi nos tolerant ad-
 mittantq; . Certè nisi pacta fundamentalia, nisi spes lucri, nisi necessitas impellat, aut atheismus
 fortè concedat, relegaberis ad ultimos Garamantas usque, & frustra domicilium, ne dum Civi-
 legium, apud eos quæres, qui illinc Jansonistas; hinc Arminianos, neutros in potioribus fidei
 capitibus à sese dissentientes, non oppidis solùm & ditionibus; sed mundo: sed vitâ ejecerunt,
 adeò inexpectatâ crudelitate, ut potteriores illi, nos dehortari ab isto hominum genere, duxe-
 rint necessarium. *Vid. Act. Remonstr.*

Obj IV.
 ab Exem-
 plo.
 Resp.

§. 20. Hic igitur, non cum hostibus ampliùs; sed ipsa morte, luctans hostis, implo-
 rat auxilium, vocanturque in illud *Exempla* omnium, qui extraneos fidei in Resp. suscipiunt,
 tolerant, fovent, etiam suarum rerum intelligentes, neque cerebrum, me hercule, in calcaneis
 habentes. Verùm aut dira exigit, & legibus quibusvis superior, necessitas, quo respectu
 utique præstat *aliquam habere quàm nullam Remp.* allophyllisque indulgere, quàm *exire mun-*
do 1. Cor. 5. 10. aut suâ recipientium sponte fit, atque tum hos pio Magistratui tanquam
 Mercurialem statuam, observandos esse, nullâ ratione probabile reddent; id potius palàm fiet:
 alios temporum injuriam, alios factorum imprudentiam, plurimos hospitem fraudes dolore
 justissimo accusare, & si limitandi desiderentur magistri, in promptu esse meliores. Adducere-
 mus exempla, si soli lumen accendere fas esset. Quare quùm isthæc auxilia ipsa potius auxili-
 egeant, ad metam festinabimus.

Obj V. à
 Doctrina.
 Resp.
 Phant. 2. p.
 640.

§. 21. Sed reclamant inter adversarios Calviniani potissimùm, & jure putant sese
 ambire nostra hospitia & commercia. nam *fratres* ajunt *sumus, uno fidei fundamento, & Au-*
gustana Confessionis œvµφωρία unanimes. Id verò credat Judæus Apella! Contrarium evice-
 runt Theologi nostri, interque hos præclarè, ut solet, *B. Danhavverus* tum alibi, tum in *Hodom-*
spir. Calvin. Opportunè autem *Doctrina* mentio fit, itaque dispiciemus paullulùm de illa, hoc
 tantùm sine, ut eò efficacius ab heterodoxorum commerciis deterreamur. Certè si syncreticos
 pacis affectatores hic audiamus, laterem lavamus, quandoquidem & Lutheranis & Calvi-
 nianis Pontificiisque in fundamento fidei apprimè conveniat, & de nudis tantùm vocibus, mo-
 disque rerum; non rebus ipsis, lites agitentur. Sed hi, eandem cramben terque quaterve
 apponentes, abundè à nostratibus refutati sunt. *Vid. Collegii Anti Syncretici, quod nu-*
perrimè Amplissimi Domini Præsidis industriam exercere feliciter desiit §. 30. Interim, ne
 nihil dicamus, Pontificiam religionem quatuor maximis erroribus deformari dicimus. Pri-
 mus

mus est, qui delet doctrinam de lege & iustitia fidei, præcipitque dubitationem, ex quo fonte scaturit totum Pontificiorum errorum atque idololatriæ chaos. secundus est, qui merita & cultus, Filii Dei proprios, transfert in adorationem, oblationem & applicationem panis consecrati pro vivis & mortuis, ex opere operato, in Missa theatra & extra Missam, cum beneficia filii Dei applicet sibi unusquisque fide propria. Tertius, qui invocacionem soli D E O præstandam, Ethnico more dirigit ad homines mortuos. Et denique quartus, qui ritus humanâ autoritate institutos, ut vota Monastica & similes innumeros, cum opinione meriti, cultus ac necessitatis, anteponit præceptis, ac requisitis lege divina operibus, Quin imò, si religionem Pontificiam probè ponderes, tota sacerdotum dominatui & commodis adornata est, quò nescio, an quicquam veriùs depinxerit *Severinus de Monzambano*. Ad Calvinianam quò spectat religionem, merebatur illa eò fufius percenteri, quò citiùs occulta hæc pestis, neque ut Pontificiorum Cacodoxia, sensibus valdè obvia, sapientiores etiam & incautam maximè plebeculam inficit; sed brevitatis gyro inclusis, *Calvinisticum genium* quadantenus adumbrasse suffecerit. Est ille Jesuitico genio adeò familiaris; ut diceres iisdem gavifum cunabulis: *blasphemus*, DEUM Dei que verbum attrectans, mendacii, crudelitatis, radicis peccatricis, quicquid oblatret, insimulans: est *perinax* genius, orthodoxorum nostrorum scripta, suos etiam modestissimè castigantia errores, non modò fusque deque; sed planè ludibrio habens: præmissis sæpè concessis, consequentias præfractè repudians. Est genius *vaserrimus*, aliud linguâ promens, aliud pectore foyens: neque ausurus Palladium suæ religionis, absolutum, inquam, decretum, & quæ hinc, secundo amne, absurda horrendaque plurima fluunt, publicè è suggestu laudare, ejici nimirum ab auditoribus, hæc talia nunquam doctis, neque sanè docendis, veritus: Est *seducens* genius, qui zizaniis suis disseminandis nec operæ, nec oleo parcat, adhibitis quibuscunque artibus & fraudibus, id quod Palatinus, Saxonia, Marchia Brandenburgica, Dantiscum, Brema, Basilea, Colmaria, atque utinam haud plures Resp. & deprehenderunt, & suo damno didicerunt. *Vid. Hutteri Concord. Concord. & Conzen. Pol. Caspar. Feucus* eò processit audaciæ, ut sub sigillo & nomine Principis sui libellos Calvinianos, & factos ad corrumpendam juventutem, subdolè scholis inferret. Est genius *seditiosus*, quod literæ ad Fridericum III. Electorem, à Wolffgango Palatino, Christophoro Würtembergico & Carolo Badensi scriptæ, testantur: *Zwinglianismus & Calvinianismus, docentibus aliquot exemplis, est spiritus seditiosus, & ubi admittitur, primas, imò Magistratum, affectat occupatque*. Est genius *crudelis*, ne regicidii quidem abhorrens, quod patuit querelâ Jacobi, & morte postmodum Carolii filii, Angliæ Regum. Est genius *hypocriticus*, mel spirans ex ore; sed fel in corde alens, præsertim nostræ Doctores Ecclesiæ odio plus quàm Vatiniano prosequens, & quod vitiorum omnium supplementum est, aut in desperationis barathrum, aut carnalis securitatis labyrinthum necessariò detrudens. Hoscine igitur Magistratus in Remp. & fœdera spontè suscipiat, toleret, civitate donet? *D. Heë* à Serenissimo Electore Saxon. iussus sententiam dicere super quæstione: Utrum Lutheranus opitulari posset, ut Calvinistica non minus quàm Aug. Confessio tolerari in imperio, & publicâ securitate frui posset? Respondit: *Oportet, ut respondeat NON, quisquis Christianum pectus habet & Conscientiam: quam enim clarum, solem in Cælo, tam clarum est, doctrinam Calvinisticam blasphemias in Deum, & horrendis erroribus esse refertissimam, Verboque divino, per scripturam revelato, tam in fundamentalibus quàm aliis articulis diametraliter oppositam. Quis ergò juvare tuta conscientia poterit, ut isti doctrina non jam una; sed centena amplius, imò millena, & millies millena anima adjiciantur?* Et Protestantes cum Francofurti, inque eo essent, ut cum Helvetiis fœdus inirent, quod Civitates valde cupiebant, Saxo per legatos respondet, *quoniam de Cæna Domini diversum sequantur dogma, non sibi licere societatem cum ipsis ullam coire. Quanti sit ipsorum conjunctio, propter vires atque potentiam, non se quidem latere; sed eò sibi minimè respiciendum esse, ne tristis inde sequatur exitus, quod iis accidere scriptura testetur, qui muniendi sui causâ, cujusque modi presidii usi fuissent.* *Sleidanus de Stat. Relig.*

c. ult.

p. 228.

l. 2. c. 18.

1463. d. 4.
Maji.

1634. d. 28.
Mart.

ann. 1531.

l. 8. p. m.
215.

Deterret quoque famam & Conscient. §. 22. Sicut porro Magistratus suæ famæ prodigus esse non debet, si quidem Remp. velit servatam & conservatam; ita profecto probrosum illi est, commercia cum heterodoxis permittenti, hocq; ipso gloria divina debitum zelum palam inficianti, profanum Gallionismum, & ignorantiam religionis exitialem sine equuleo profitenti, cathedrariis monitionibus re ipsa obstrepenti, ac supra thronum Dei se efferenti, nam si crederet vera esse, qua pro suggestu in cacodoxiam, in majestatem Christi blasphemam, ex ore Domini proferuntur, tum nec os in Cælum attolleret, nec manus, à Numine ligatas, laxaret: Audiet in se quoque dici falsum illud cavillum, quod Saracenus in Ludovicum Gallia Regem jecisse, memorat Matth. Paris. Regi minus charum esse Iesum Christum, qui insensissimos ejus hostes visceribus regni foveret.

p. 834. Dannh. Theol. Conf. Quod hinc de Calvinianis protulimus, aliis etiam heterodoxis applicare, non erit tentanti arduum.

Recta ratio. Obj. §. 23. Quis autem non rectæ rationis delirium censuerit, si zizania in hortum, granam in corpus, pestem in domum, vulpem in Gallinarum cohortem admiseris? At dicis, vacillat simile, & præstò est medicina malo: quippe & Magistratus præcavere possunt interditi, pactis, pœnis, ne repat, ne grassetur, ne noceat: & vigilare pro salute nostra animarum Custodes, qui adversarios ubique observabunt, potenter redarguent, sollicitè in ordinem redigent, unde facile erit pericula devitare, quando & hosti manifesto non ita difficulter obviam iri potest. Verùm hinc aliquid diceres, si indoles morbi, si sectæ genius, si principia religionis faverent; sed jam frustra lupos collocas inter oves, ne ipsas deglutiant: frustra locustas in agros, ne fruges comedant: frustra anguem in sinum, ne mordeat. Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret. Esto autem, possit caveri palam, num tamen ne clam inficiat? non sufflaminet eos, qui ad conversionem inclinant, ac vel solo odii metu eos deterreat? iterum Magni Dannhaveri verbis rogamus. Th. Conf. Deinde malitiosè Deum tentas, & periculum amas nequicquam miraturus, si in periculo pereas: quis enim novit fraudes & machinas omnes infernalis serpentis? Neque prudentius agis, quàm si vel peregrinis, peste infectis, hospitia aperias, sub spe remedii, à Medicis inquilinis procurandi, vel ignem domui hinc subdas, quòd Argentorati restinguendis incendiis tam bene ordinata sint omnia. Quid autem, si sub ea conditione tolerantur, ut liberi eorum nostris assuefiant sacris? Neque si capies callidissimum hostem, nec enim hypocrisis tolli, nec varia declinati pericula poterunt: quid enim, si filii aliò migrant, ubi integrum est, cultui suo vacare? quid si clanculariis informatoribus (rectius deformatibus) committantur? Instrumento Pacis se tuituri §. Placuit porro. Annon causa causæ est, etiam causa causati? wer den Gatter auffgethan/ist auch schuldig an des Kinds Fall. Dicis: si aliò migrant, jam vacat Resp. invisis hospitibus. Verum! sed simul etiam bona facultatum, Concivibus ereptarum, parte, & relinquuntur pauperculi, certissimo Reip. incommodo. Ergò neque istis præsidis tutari sese heterodoxiæ conjugium, sive Politicum, sive Ecclesiasticum sive etiam Oeconomicum valet. Quin potius, Dum hac consensu publico peraguntur, crimen paucissimorum fieri crimen omnium, Salvian. de Provid. rectissimè monet.

Cura Posteritatis. §. 24. Efficacissimè etiam, si gerendam posteritatis curam meminerimus, cui hoc modo sensim verbi divini thesaurus, & religionis subtrahitur sinceritas, quæ tamen DEUS tanquam preciosissima deposita Magistratibus æquè ac parentibus, & Ministris Ecclesiasticis concedidit, conceditaque non sine augmento & scœnore, derivari in posteros jussit Deut. 9, s. 6. 7. Psal. 78, 15. & seq. quòd nisi fiat, & subditi salutis faciant naufragium, malum certè in negligentium capita redundabit, neque irrita erit, tam justè in vindictam vocata, Nemesis; quòd quidem periculo si quis non deterreatur, vix ullo deterrebitur.

Maximè damna. §. 25. An igitur putemus, animæ tantum insidias strui: non corpori? profecto utrisque! Et œconomix quidem incommoda supra tetigimus, hoc addimus: illam litium uberimam segetem valdè prægravem esse, jam dum negotiorum cumulo obrutis, ministris, & obtundere omnem alacritatis, in detrimentum Reip. aciem. Quin ipsa Oeconomia (impediti enim diversæ matrimonia religionis non possunt) dum prolem dat, nullo pietatis zelo, inter diluta & tepida religionis exercitia, educatam, & vitia hæc cum lacte quasi materno imbibentem, dignissimus sequitur sua matre foetus, *irreligio* s. irreligio; non enim est religio, quæ sic friget.

friget. Lips. Pol. 4, 2. Hinc civitas aut Resp. quid speret commodi? Illa olim ad Reip. clavos sedebit: illa suggestus occupabit: cathedras implebit: quæ patrociniæ spes? quis religionis fervor? quæ doctrinæ castitas? quæ fides! Jam servi & servæ, ut solet maximè hoc hominum genus divinarum rerum negligens, & dignoscendarum religionum imperitissimum esse, eò facilius ad castra heterodoxorum transibit, numerumque auget, quò promptius ope, consilio, ære juvari ab illis sese intelliget. Unde his accrescet omnis ferè utilitas cujus intuitu patroni illorum in Remp. aut admittebantur aut in ea tolerabantur, horum operæ conducentur, habitis insuper Concivibus reliquis. Quo evenit, ut primum invidiæ, ex invidia factionum, è factionibus tumultuum igniculi concipiuntur, qui, duce accedente & quodam quasi fomite, in bella ac flammæ erumpunt (*vid. Lips. l.c.*) & totum sæpè Reip. ædificium corripunt. Quâ occasione solertissimè illi hamos suos jacere noverunt, & nova subinde jura, instar Romanæ quondam plebis, Patribus extorquere, donec eminentem jam religionem Dominâ, non modò difficiliùs ejici quàm ante admitti hospites possint; sed ipsi etiam expugnans nunc socius, nunquam hoc veritis, illud Virgilianum minaci voce occinant: *Veteres migrate Coloni.* atque ita credulum leporem non sine damno, non sine risu astutus erinaceus relinquere cogat domicilium. Verùm his rebus exactè pertractandis, justum volumen dicendum foret. Nos filum telæ abrumpemus, quodque unum, sed maximum superest, ab *equo Eccltore* festinati & juvenilis opusculi veniam, ut fidere jubet humanitas, exorabimus, gratulantes interim eâ, quâ par est animi devotione, illis Magistratibus, qui neque exquisitis Cæcodoxorum precibus, neque fulgentibus tentatorum nummis, neque fallacibus fortunæ blanditiis; sed Divino Numine, sed sacra Scripturæ, sed probatis Exemplis generosè cesserunt, piè crediderunt, sanctè institerunt: ipsi inter prudentes longè prudentissimi, inter bonos sine lite optimi, inter mortales verè immortales!

*Eclog. 9.
v. 4. Th.
Conse.
p. 626.*


*Supplementum pagelle ab Amplissimo Domino Præside
aologodius additum:*

Johannes Breving SS. Theol. D. Imper. Eccles. S. Barth. Francofurti ad Moenum Canon. Scholasticus, & Ecclesiastes, anno proximè lapsò edidit concionem, quam in solenni panegyrii habuit cum Joh. Theodor. Sprengerum J. U. D. Synagogæ Romanæ dedicaret. In ea, cum perlegerem, deprehendi, id etiam agi: *Ob ein gottsfürchtiger Mensch durch disputiren und viel Einwürffe dahin gereichen könne / daß er endlich gewiß seye / daß er den wahren und seligmachenden Glauben also habe / wie er von Anfang ist geprediget worden?* Negat D. Breving. Conc. p. 12. §. folget. *Argumenti loco adducit* (1.) gratiam Dei, dann selbige (nempe gratia credendi) ist ein Gnad von Gott / dem Menschen gnädiglich eingegossen. (2.) *Experientiam, desumptam, ut à Francofurtensibus, ita etiam à Johanne Duræo.* Istis; sic enim inter alia subjungit: *Ich weiß und ist allhier geschehen / daß eine gewisse Person gesagt: wann ich schon wüßte / daß der Papißten Glaube allein der rechte Glaube wäre / so wolte ich dennoch / ó Greuel! lieber verdampt / als ein Papißt seyn / und seynd viele / die sich dieser vergleichniß gebrauchen: Hoc; sic enim paulò post addit: wie starck D. Dannharter und D. Bebelius mit Joh. Duræo wegen disputiren aneinander kommen / ist sonnenklar / so gar / daß dieser endlich mit der Appellation ans Gericht Gottes sich salviren müssen / da er mit seiner Friedens- Arbeit / die er von anno 1660. biß 1665. in Druck gegeben / so wenig außgerichtet / als die zween andere aufrichten werden; wiewol beyde Parthey Gottes Wort / Gottes Wort rufft / und dennoch nichts als ihre privat Meynungen / an statt des wahren Worts Gottes zum Markt bringen. Hactenus argumenta. Quæ ut eò melius intelligerentur, exornavit simili: Es ist mir / inquit D. Breving, wie einer Tonnen / so mit Wagen- f. h. schmier außwendig angefüllet ist / selbige ob sie schon den ganken Tag in dem Regen stehen sollte / wird sie dennoch darumb nicht feucht / alldieweil das Wasser ablauffet und nicht klebet: also ist mit dem Catholischen Predigen und Zureden / und werden selten die Leute durch disputiren gläubig; sondern mehrentheils ungläubig. Hæc ille. Sed ineptè & ridiculè. Nam 1. opponit subordinata; gratiam Dei & media, quibus illa utitur. Gratia Dei utiq; hominem*

COA-

convertit, & certum reddit, sed non per Enthusiasmum, verum per verbum suum legitimè applicatum, id verò sit prædicando, audiendo, legendo, scrutando, conferendo, disputando. 2. negligit statum controversiæ. Is est de homine religioso & devoto, qui DEUM timet; num verò talis est Duræus Syncretista? aut quem ille narrat nescio quem, qui convictus licet, tamen fateri nolit, quod Papistarum vera sit religio. Status est de posse; annon possit adduci religiosus, ut certus sit in fide sua? Et non: An de facto per disputationes adacti omnes λόγο ἔξω fateantur, hanc vel illam esse veram fidem. 3. sibi ipse contradicit, dum ait: Es werden selten die Leute durch disputiren gläubig; sondern mehrentheils ungläubig; innuens, saltem aliquos in perfidia sua non manere, sed ad veram fidem disputando adduci. Jam verò sufficit aliquem saltem, si vel *unicus* foret, disputando fidem concipere, ut obtineamus, disputationes, legitimè (nam de iis sermo mihi est) ex verbo Dei institutas, esse medium homines, vi verbi Divini, illuminandi & confirmandi. 4. *Ridiculus* est idem, cum sese tonnæ ipse comparat: Es ist mir wie einer Tonne. Sed cui? Cerevisiæ? an vini generosi? an halecum? Resp. so mit Wagen: s. h. (puto, sensum esse: salvo honore, mit Ehr zu melden) schmier außwendig angefüllet ist. Quâ autem axungia? Axungiam salvo honore credo esse concionem, seu *stultitiam prædicationis*, quam D. Brevingius egregiam comprobavit, cum D. Sprengerum, Pontificium quasi modo genitum, publicè inungeret & inaugureretur: dann also ist es mit den Catholischen Predigen/inter quas & Brevingiana nomen suum profitetur. Contrâ Evangelicorum Conciones erunt instar fœcundæ pluvix, quæ etiam in Pontificios decidit, sed quia sacro sc. l. chrismate delibuti sunt defluit & frustra est. Dixerit Brevingius se velle contrarium nempe Lutheranos esse instar unctorum doliorum, pluvix vim eludentium. Ergò dicendum fuisset: Die Lutheraner kommen mir vor wie eine Tonne &c. Sed hoc nec scripsit Brev. nec congruè scripsisset, si scripsisset. Nam exempli loco immediatè subjungit exemplum Duræi, eadem axungia delibuti, quem propterea neque D. Dannhæwari, neque D. Bebeli disputationes convertissent, ut ad eò disputationes nostræ sint instar cœlestis pluvix, quale quid etiam Papistarum Conciones sint, perinde tamen, ut nostræ disputationes frustraneæ. Quid igitur prærogativæ habent istæ conciones præ nostris disputationibus? sed tædet ista confectari verborum & similibus monstra, nec integrum est, in tantis pagellæ non integræ angustiis, in Grammaticorum, Rhetorum & Logicorum messem falcem meam immittere. Dabitur occasio de reliquis in Concione & inani sapientia hominum contentis differendi. Nam & in hoc schediastmate nominis mei mentionem facere voluit D. Brevingius, *Stultus*, quem se ipse in titulo inanis suæ sapientiæ innuit, *prædicator*.

F I N I S.



Coll. des. A. 7, misc. 7